quid illud ſit, duo nobis hoc principio ſunt recognoſcenda. Primum, an Socrates aliquid de ſuo, ſcripto conſignarit: Alterum, an, licèt ſcripſerit alia, ſcripſerit etiam has Epiſtolas. Tum Zacchias; Infinitas, concertationúmque plenas diſputationes ingrederis. Ne diutiùs in inanibus diſceptationibus immoremur, vnam nobis, & quam primo loco dubitationem propoſuiſti, diſſolue. Altera enim, & quæ ab ea dependet, ab illius expoſitione, terminationéque lumen habebit. Quis enim, dummodò ſcripſerit aliquid Socrates, & has Epiſtolas compoſuiſſe, niſi aliquid aliud obſtiterit, negabit? Euidenter enim ſequitur, ſcripſit alia, ergo potuit & has ſcribere. Si potuit, & hæ ſub illius nomine in antiquis Codicibus leguntur, aliæ earum refellendarum rationes, aliunde quàm à ſcriptione, vel non ſcriptione Socratis petendæ ſunt. Primùm itaque illud tibi probandum erit, Socratem aliqua ſcripſiſſe. id vbi bona hora feceris, alterum tibi concedemus, Epiſtolas has Socratis eſſe. At non ita fiet, Vallius dixit; ſunt enim in illis, vt ex eorum lectione coniicere licet, quædam recentioris æui lumina. compoſitio etiam in aliquibus, artis oratoriæ coloribus polita, & Sophiſtarum ornamentis redundans, quantùm Philoſophum dedeceat, & Philoſophum Socratem, fruſtra eſſet, ſi verbis id conaremur comprobare. Protagoræ, Prodici, Gorgiæ in illis dicendi formam, ac inanem ſæpiùs verborum affectationem, non Socraticam dignitatem, quiſquis earum Auctor fuit, expreſſit. Quantò meliùs, addit Meronus, recentiores Sophiſtæ, ac aliorum geniorum imitatores antiquioribus illis hoc argumentum peregerunt, qui non nudum nomen illius, quem ſibi imitandum propoſuiſſent, præfigere, ſed ſuum ſole-

bant, vt tamen ingenium oſtentarent, ſubdebant, Quid dicere potuerit Hercules furens, Medea, Socrates, alij, quod illis verbis expreſſêre, τίνας ἂν εἴποι λόγους, *vt rem fictam eſſe, quam ipſi ſcribunt, legentes intelligerent. Tum Victorellus; Inter has eaſdem Epiſtolas complures ſunt, quæ aliis etiam Philoſophis veluti Phædro, Platoni, Xenophonti, Ariſtippo, Æſchini, Antiſtheni, aliiſque appinguntur. vel omnes falſæ iudicandæ ſunt, ſi Socraticæ non agnoſcuntur vt genuinæ. vel ſi iſtæ veræ ſunt, quid obſtat, quin etiam Socratis illæ veræ ſint? Omnes enim eadem cenſura diſcernendæ videntur. Tum ego; Socratem nihil ſcripſiſſe non tantùm Plutarchus tradidit, ſed alij etiam, quorum princeps Cicero fuit, qui de Oratore lib. 3. ſcribit, illius* ingenium, varióſque ſermones immortalitati ſcriptis ſuis Plato tradidit, cùm ipſe litteram Socrates nullam reliquiſſet. *Nec Cicerone dignitate inferior Dio Chryſoſtomus orat. de Socrate,* ἀλλὰ δὴ τῶν μὲν θαυμαζομένων ἐκείνων σοφιστῶν ἐκλελοίπασιν οἱ λόγοι, καὶ οὐδὲν ἢ τὰ ὀνόματα μόνον ἐστίν. οἱ δὲ τοῦ Σωκράτους οὐκ οἶδ᾽ ὅπως διαμένουσι, καὶ διαμενοῦσι τὸν ἅπαντα χρόνον. τούτου μὲν αὐτοῦ μηδὲν γράψαντος, ἢ καταλιπόντος, οὔτε σύγγραμμα, οὔτε διαθήκας· ἐτελεύτα γὰρ ἀνὴρ ἀδιάθετος τήν τε σοφίαν, καὶ τὰ χρήματα. ἀλλ᾽ οὐσίαν μὲν οὐκ εἶχεν ὥστε δημευθῆναι, καθάπερ εἴωθε γίγνεσθαι τῶν καταδικασθέντων· οἱ λόγοι δὲ τῷ ὄντι ἐδημεύθησαν, μάλιστ᾽ οὐχ ὑπ᾽ ἐχθρῶν, ἀλλὰ ὑπὸ τῶν φίλων. οὐδὲν μέν τοι ἧττον καὶ νῦν φανερῶν τε ὄντων, καὶ τιμωμένων, ὀλίγοι ξυνίασι, καὶ μετέχουσιν. *Ariſtides item oratione prima Platonica pro Rhetorica:* δοκεῖ δέ μοι καὶ Σωκράτης αὐτὸς, εἰ καὶ μηδεὶς λόγος αὐτοῦ γραφῇ σώζεται, οὐχ ἧττον οὔτε Πλάτωνος τοῦ σεμνοῦ, οὔτ᾽ Αἰσχίνου τοῦ κομψοῦ μαρτυρεῖν. *Et oratione*

tione ſecunda, καὶ Σωκράτης μὲν καὶ Πυθαγόρας, οὐδ᾽ αὐτοὺς τοὺς λόγους ἐν οἷς ἔζων συνέγραψαν, ἀλλ᾽ ἐφ᾽ αὐτῶν ἐφιλοσόφουν. Et Auctor contra Hæreſes, quem ſub Origenis nomine in Manuſcriptis Codicibus legi, idem de Socrate refert. ὃς τὸ γνῶθι σαυτὸν περιλημήσας, καὶ μεγάλην σχολὴν συστήσας, ἔσχε πάντων τῶν μαθητῶν ἱκανώτερον τὸν Πλάτωνα, αὐτὸς δὲ μηδὲ συγγράμματα καταλιπών. Actum eſt de hiſce Epiſtolis, inquit Meronus. ſi nullum ſcriptum, neque litteram vllam reliquit, quomodo Epiſtolas conſcripſiſſe dicendus eſt? Gladio tuo iam cecidiſti. ſed benè eſt. Tui tu cauſa mali, qui ſemper Auctorum ſcripta inueſtigans, ſingularia quæque adnotas. At notationibus hiſce tuis, ex auſpicio, atque ductu tuo, primo congreſſu vicimus. At non viciſtis, inquam ego, ſi ſapio; Nam hæc teſtimonia nihil aduerſus Epiſtolas faciunt. Quî id fieri poteſt? infert Victorellus. Probè, reſpondeo. & vt à Plutarcho initium ſumam: Refert Plutarchus, neque Pythagoram, neque Socratem, neque Carneadem, neque Arceſilaum aliquid ſcripſiſſe. Ergo Socrates aliquid ſcripſit. Tum Vallius; Haud decorum facinus facis, vt nos irrideas, ſuauiſſime Leo. Caue ludas nos tuo ludo. Non huc oues tibi adactæ ſumus. Mirum equidem enthymema, Socrates non ſcripſit, ergo ſcripſit: Per Plutarchum, inquam, hoc infero. Lepidiſſimè ſanè infers, ait Vallius. Et ego, Pythagoras, Carneades, Arceſilaus per Plutarchum ſcripſerúntne aliquid? Nihil, reſpondet Vallius. Et tamen multa ſcripſiſſe compertum eſt, inquam. Quis id ait? ſubdit Zacchias. Auctores, dixi, optimæ notæ. & ne diutiùs morer; licèt Lucianus de lapſu in ſalutatione ſcribat, ὁ θεσπέσιος Πυθαγόρας μηδὲν αὐτὸς ἡμῖν ἴδιον καταλιπεῖν τῶν αὐτοῦ

ἠξίωσεν. *& Iosephus Hebræus Originum Iudaic. lib. 1.* Πυθαγόρου μὲν οὐδὲν ὁμολογεῖται σύγγραμμα. *Laërtius tamen multa illius enumerat in eius vita. inter ea, quæ in dubio erant, & aliis Auctoribus attribuebantur, in medio iudicium reliquit; aitque eos, qui à Pythagora nihil conscriptum esse tradunt,* διαπαίζειν. *Sed Laërtio Plutarchus similis non est, ait Meronus, qui nec comparandus ad illum est. Esto, inquam. At Heraclitus Physicus, Heraclides Serapionis F. & Ion Chius, ex quibus, quæ de scriptis Pythagoræ Laërtius refert, hausit, nónne Plutarcho ipso in hac re probabiliores iudicari debent? Multa scripsit antiquitas, quæ quia non visa Plutarcho, nec scripta etiam existimata. Plinius lib. 14. cap. 17. adducit quædam ex libro Pythagoræ. & Proclus laudauit orationem illius ad Abarum lib. 3. in Timæum Platonis, vt & alij adnotarunt. Et Victorellus; Carmen etiam illud* Aureum *dictum sub Pythagoræ nomine sæpiùs editum est, & à plerisque Latinè redditum noui. Tum ego; Dubitarunt alij de Auctore illius Carminis. sententias tamen & decreta Pythagoræ in eo, sed ab aliis versibus conscripta agnouerunt. Verba sunt Hieronymi, si rectè memini, aduersus Rufinum.* Cuius enim sunt illa χρυσᾶ παραγγέλματα, nónne Pythagoræ? in quibus omnia eius breuiter dogmata continentur; & quæ latissimo opere Philosophus commentatus est Iamblichus, imitatus ex parte Moderatum, virum eloquentissimum, & Archippum, & Lysidem Pythagoræ Auditores. Quorum Archippus ac Lysides in Græcia, id est, Thebis scholas habuêre; qui memoriter tenentes præcepta Doctoris, ingenio pro libris vtebantur.

Chrysippus apud A. Gellium lib. 9. cap. 2. & Plutarchus de Consolatione ad Apollonium, Pythagoræis adscribunt. Galenus de cognitione, & curatione morborum animi, hæret. ταύτας δὴ τὰς φερομένας, ὡς Πυθαγόρου παραινέσεις. *Laërtius in vita Pythagoræ, Lysidi Tarentino tribuit,* τὸ δὲ φερόμενον ὡς Πυθαγόρου Λύσιδός ἐστι τοῦ Ταραντίνου Πυθαγορικοῦ. *Alij Philolaum eius Auctorem suspicati sunt. Pythagoram tamen illius scriptorem recognoscit Proclus dicto loco, qui Pythagoram vocauit* τὸν χρυσῶν ἐπῶν πατέρα. *& Clemens Alexandrinus Pædagogi lib. 1. cap. 10.* καί μοι δοκεῖ σπουδῆς τοῦτο ὁ Σάμιος παραγγέλλει Πυθαγόρας. δειλὰ μὲν ἐκπορήζας, *&c. De Carneade, & Arcesilao idem dicendum est. Nam Arcesilai epigrammata, & epistolam ad Thaumasiam quendam, Carneadis etiam ad Ariarathem Regem epistolas Laërtius recenset. Argumentare ergo, mi Valli; Pythagoras, Carneades, Arcesilaus nihil scripserunt, & tamen scripsisse probatum est; ergo & Socrates, qui inter eos annumeratur, scripsit aliquid, etsi dicatur nihil scripsisse. Neque enim dictum Plutarchi, falsum in cæteris, in Socrate tantùm verum dicere possumus. Vnde enim id habebimus? Vel omnes ergo aliquid scripserunt, vel nullus. Adhuc sermonis tui rationem nobis non persoluis, ait Victorellus. At persolutam, inquam, confido, & verè persoluisse eiusdem Plutarchi testimonio comprobabo. Ipse enim Libello, Quomodo adolescens Poëtas audire debeat, narrat, Socratem in somniis quondam ad scribendum Carmen compulsum, Æsopi fabellas ad scribendum sibi argumentum delegisse.* ὅθεν ὁ Σωκράτης ἔκ τινων ἐνυπνίων ποιητικῆς ἁψάμενος, αὐτὸς μὲν ἅτε δὴ γεγονὼς ἀληθείας ἀγωνιστὴς τὸν ἅπαντα βίον, οὐ πιθανὸς ἦν, οὐδὲ εὐφυὴς

ψευδῶν δημιουργός. τοὺς δ' Αἰσώπου τοῖς ἔπεσι μύθοις ἐνόμιζεν ὡς ποίησιν οὐκ οὖσαν, ᾗ ψεῦδος μὴ πρόσεστι. *Quî ergo dubitem, hominem carmini addictum, prosa etiam alio tempore nonnulla conscripsisse? At non scripserit: certè, Plutarcho teste, aliquid scripsit. Quanam ergo ratione Plutarchus tot viros clarissimos, & editis scriptis de posteritate bene meritos, dixerit nihil scripsisse, vos, qui tantum Plutarcho præ aliis tribuitis, iudicate. Ego existimo, id eum ita asseruisse, quòd nullum eorum scriptum viderit, vel quòd memoria lapsus, alia atque alia pro opportunitate temporis in medium attulerit, quod Auctori illi solemne est. Satis iam factum Plutarcho, inquit Zacchias: Nescio quomodo Ciceroni occurres, qui tradit Socratem nec litteram vllam reliquisse. An is potuit scriptum, qui nec litteram quidem? Qui nec litteram quidem reliquit, inquam, potuit scriptum, & epistolas reliquisse. Mirum sanè, respondit Meronus, temet semper, vt ardua complanes, in difficiliora, ac præruptiora coniicere. Qui nec syllabam, nec litteram; epistolas, & commentaria reliquit. At ita est, inquam. Illi enim inter Philosophos nihil scripto tradere dicuntur, qui suæ artis arcana voce tantùm discipulis, vt inde posteris innotescant, committunt; non qui alia extra scientiæ fines, siue per epistolas, siue per alia monumenta in scriptis conferunt: adeò vt voce per aures in animum disciplinas infundere, non in papyro videantur inscribere. Nihil igitur Socrates scripsit, nec syllabam quidem, si dogmata spectes, & Philosophiæ suæ axiomata. De aliis rebus pleraque, quæ parùm illi curæ erant, siue clam inter domesticos, siue palam inter amicos agitarentur, quodnam censeri poterit impedimentum, ne litteris man-*

daret? Tum Vallius; Exemplo opus eſt, ſi vſpiam ſimile quid inuenitur. Confido tamen, ſi eſt, à te minimè prætentum fuiſſe. Non deerit, inquam. Laërtius in vita Carneadis ait, ſcriptum eum nihil reliquiſſe, ſed omnia quæ illius eſſe feruntur, conſcripta fuiſſe à diſcipulis. & tamen epiſtolas, quæ ſub eius nomine circumferebantur, vti genuinas agnoſcit. Quid hîc ais, Valli? Qui ſcripſit epiſtolas, quomodo nihil ſcripſit? Verba Laërtij, nam rectè recordor, ea ſunt; φέρονται δὲ αὐτοῦ ἐπιστολαὶ πρὸς Ἀριαράθην τὸν Καππαδοκίας βασιλέα. τὰ δὲ λοιπὰ αὐτοῦ οἱ μαθηταὶ συνέγραψαν. αὐτὸς δὲ κατέλιπε μηδέν. *Ergo illud non ad ſcripta in vniuerſum, ſed ad ea tantùm, quæ de ipſius hæreſi, vt ita dicam, & illius arcanis pertractabant, referendum videtur. ſin minùs, Laërtium in pauciſſimis verbis ſibi contraria dicere, affirmare cogemur. Nec in aliam ſententiam locutus eſt Cicero; & quod magis mirere, nec Dio Chryſóſtomus, nec Ariſtides, nec Origenes. Et Victorellus; Dionis verba paulò accuratiùs examinanda ſunt. Ait enim, Socratem nihil ſcripſiſſe, nec reliquiſſe neque Commentarium, neque teſtamentum. Fruſtrà, inquam, hoc quæritur; cùm ex eodem Dione Socrates aliquid ſcripſiſſe referatur, quod & ipſe agnoſcit, Pæana ſcilicet in Apollinem, & Dianam, Oratione Politica in Patriam.* καὶ Παιᾶνα ἐποίησεν εἰς τὸν Ἀπόλλω, καὶ τὴν Ἄρτεμιν τοῦτον, ὃν ἐγὼ νῦν ᾄδω. *De alia itaque ſcriptione Dio intelligendus eſt. Dum hæc ardentiùs diſputantur, vox quædam ad aures noſtras aduolat, Viridarij fores penè effractas eſſe, & Famulos, qui pro Domino increpant, pultandi compendium nullum facere. Quis is eſt? quæritur. Domini nomen indicare recuſant; optatiſſimum tamen aduenire illum*

dicunt. Cur non rectà introit, ergo? inquam. An non debent ſemper optatis patere fores? congrediatur actutum. Non punctum temporis commoratus, accedit Gaſpar de Simeonibus. Vt vidimus, vnà omnes aſſurgimus, eúmque ingenti fauore excipimus, cum plauſibus, fauſtíſque acclamationibus, & quibus aliis effuſæ lætitiæ argumentis amicorum æſtimatio ac beneuolentia ſignificatur. O ſalue, mi Gaſpar, clamo. Salue tibi, nobis omnibus: ſiue enim ſub initium, ſiue ſub medium huius noſtræ diſſertationis adueneris, ſemper opportunè aderis, æquè ac Socrates in Platonis conuiuio: ſed eo multò felicior, quòd ille, veluti Silenus, externo habitu ſquallens, intus bonis omnibus, atque elegantiis refertus erat: Tu ſiue extra, ſiue intus conſpiciaris, omnibus venuſtatibus, atque amœnitatibus laudatiſſimè honeſtaris. Opportunè itaque aduenis tuo Allatio tantorum Virorum concertationibus fracto opem laturus; immò Socrati ipſi, qui propter coniecturas, neſcio quas, fallaces illas, & ludicras, ſuis Epiſtolis ſpoliatur. O Sophocleium equum, ô veteranum, & emeritum militem, Gaſpar ait. Saluæ ſunt, te defenſore, nec dubito, Socratis Epiſtolæ. At quid humaniſſimi & erudítiſſimi iſti Viri opponunt? Multa, inquam, vnà omnes in vnum conſpirantes. Et Zacchias; Vt nimis ſemper metuit malè noſter Leo! vt verbis ſemper horret! Qui virum non agnoſcit, diceret eum iam præ metu occidiſſe. Noſtras ipſe difficultates, vt abundantiùs reſponderet, difficiliores effecit. Iam ipſe Plutarchi, Ciceronis, atque Dionis auctoritate, qui Socratem nihil ſcripſiſſe aſſeuerant, aliquid eum ſcripſiſſe demonſtrauit. Hinc Epiſtolas illas Socraticas, quas nunc præ manibus habet, So-

crati ſuo vindicaſſe exiſtimat. At vindicaui, inquam, ſi quod initio diſputationis conceſſiſtis, memoria tenetis. Dicebamus ergo, mi Gaſpar, veteres illos Philoſophos, quòd præcipua Philoſophiæ ſuæ capita ſcripto non commendaſſent, ideo ab aliis, quamuis multa alia ſcripſerint, nihil ſcripſiſſe dictos eſſe. & eorundem Auctorum teſtimonio de Socrate præſertim fusè probaui: & hi omnes, antequàm ipſe ad nos acceſsiſſes, ad ſententiam meam acceſſerant. Itane & tu cum iis? Immò, Gaſpar ait, ὡς οὐ καλῶς, *vt Plutarchus tradit in Numa,* ἐν ἀψύχοις γράμμασι φορουμένων τῶν ἀπορρήτων, ᾧ λογισμῷ φασὶ μηδὲ τοὺς Πυθαγορικοὺς εἰς γραφὴν κατατίθεσθαι τὰ συντάγματα, μνήμην δὲ καὶ παίδευσιν αὐτῶν ἄγραφον ἐμποιεῖν τοῖς ἀξίοις, καὶ τάς τε περὶ τὰς ἀπόρους, καὶ ἀρρήτους λεγομένας ἐν Γεωμετρείᾳ μεθόδους, καὶ πραγματείας πρός τινα τῶν ἀναξίων ἐκδοθείσας ἔφασαν ἐπισημαίνειν τὸ δαιμόνιον, μεγάλῳ τινὶ, καὶ κοινῷ κακῷ τὴν γεγενημένην παρανομίαν, καὶ ἀσέβειαν ἐπεξερχόμενον. *Euge pol, mi Gaſpar, inquam. Scriptio ſcilicet indigna eſt, quæ tanta Philoſophiæ arcana excipiat, quæ nonniſi dignis communicanda, qui pauci cùm ſint, ſatius eſſe duxerunt, ea omninò non ſcribere, quàm vt ſcripta aliquando in eorum manus peruenirent, qui eſſent indigni. Quare abſtinuerunt ab eorum ſcriptione, non ita tamen, vt ab aliorum etiam, quæ non ita ſancta viſa ſunt, abſtinuerint. Ideo Lyſidis illam ſententiam de hac re, perpulchram illam quidem, ſæpiſsimè laudaui, ad Hipparchum,* καθάπερ γὰρ εἴ τις εἰς φρέαρ βαθὺ βορβόρου πλῆρες ἐγχέας καθαρὸν καὶ διειδὲς ὕδωρ τόν τε βόρβορον ἐτάραξε, καὶ τὸ ὕδωρ ἠφάνισεν. ὁ αὐτὸς δὲ τρόπος τῶν οὕτω διδασκόντων τε, καὶ διδασκομένων. *Sed res mihi cum Vallio eſt. Cedò mihi, opti-*

me Valli; Plato ille, inquam, diuinus Plato, Socratis auditor, scripsitne aliquid? Itane tandem? subdit Vallius. At respondendum, inquam, est, etiamsi pungi te sentias. Etiam, ait, si videam hæc nihil tua referre, dicam. Anne volumina illa, quæ sub Platonis illius nomine prostant, vnquam vidisti? Cur non respondes, inquam. At respondeo, ait Vallius. Dum interrogas, dixi, non respondes. Scripsitne aliquid Plato? Multa sanè, quæ præ manibus omnium sunt. nec de eo aliquis dubitauit, quod sciam. Præter enim nonnullos Dialogos à doctioribus reiectos, cætera omnia, quæ illius esse dicuntur, verè scripsit. Platóne scripsit, inquam, illos Dialogos? Quomodo, & qua ratione? Scripsit, ait, vt alia illius æui monumenta scripta sunt. Quomodo, inquam, tot potuit volumina scribere, qui nihil scripsit? Ain tu, dicit? Ego, inquam, aio, affirmóque Platonem nihil vnquam scripsisse. Tum Vallius; Risum teneatis amici. Nouus nobis censor aduenis, Allati. Ostende primùm, qui vir sies. Quis te in hanc dignitatem euexit, vt dicto tenus scriptis Platonem exspolies? sed quando ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων, age quonam testimonio nobis Platonem scripsisse nihil probabis? Vnico, inquam, & certissimo; si ad hoc persuadendum Platonis aliquid valet oratio. Et valebit plurimum, respondit Vallius. Is ergo, inquam, dicit de seipso, nihil ad illum diem, dum hæc scriberet, scripsisse, nec scripturum in posterum. An grauior, an accuratior, an fide dignior in hac re testis esse poterit? Expedi te, inquit Vallius. At expediam, dico, si me memoria non destituet. Memoria sanè opus est, ait Vallius. Sed fugit, inquam, profectò. quis subueniet? An suggeres, mi Gaspar? O

festiuum,

festiuum, ait Vallius, Platonicorum scriptorum oppugnatorem! Quid plura? abundè satis probasti. Talento, inquam, emerem volumen Platonis. ô meam licèt tenuem librorum domesticam suppellectilem! sine te in re tantilla irrideor, neque me quicquam consilio adiuuare possum. Dicendum tamen aliquid est. Omnia certè, inquit Vallius, præter illud vnum, Platonem suo testimonio nihil scripsisse. At dicam tamen, aio, rem, quam modò memoriter complector. Xenophon Auctor illius epistolæ, quæ inter has legitur decima quinta, ex Platonis sententia id insinuat. οὐδὲ γὰρ ἔσμεν ποιηταὶ, ὥσπερ καὶ αὐτὸς, κἂν πάνυ ἀποκρίνηται ποιητικῶ. φυλαττόμενος γὰρ πρὸς τοὺς καλούς φησι, μηδὲν εἶναι ποίημα αὐτοῦ, Σωκράτους μέν τοι νέου, καὶ καλοῦ ὄντος. *Vulgare siquidem dictum erat Platonis, nullum ipsius extare opus scriptum. Tum Meronus; Rectè scilicet. Ex his ergo Epistolis, de quibus dubitamus, ad earum fidem confirmandam testimonia petemus? Hoc ipsum est, quod probare debes. Et si Xenophontis, inquam, non sunt, antiquißimi tamen Scriptoris esse nemo negabit. At Xenophontis esse quid vetat, sicut & reliquas aliorum Philosophorum, Aristippi, Antisthenis, Æschinis, Phædri? An absurdum fuerit, eosdem Epistolas has scripsisse, qui alias etiam præter has scripsisse commemorantur? Nos modò de Socratis tantùm Epistolis disputamus. Ita est, infert Victorellus. Sed ex eo Xenophontis loco nondum rei propositæ factum satis existimo. Validiores rationes exposuimus. Ad verba Xenophontis, inquam, respexisse etiam videtur Athenæus, in fine Dipnosophistarum.* Ταῦτα φίλτατε Τιμόκρατες κατὰ τὸν Πλάτωνα, οὐ Σωκράτους νέου, καὶ καλοῦ παίγνια, ἀλλὰ τῶν δειπνοσοφιστῶν σπουδάσματα. *Dixe-*

ras, ait Vallius, id ex Platone comprobandum: dein lapſus memoria, incertum an fallens, ad neſcio quæ ſubterfugis, vt te à difficultate expedias; at non expedis. Adhuc non habemus Platonem dicentem. O mi, inquam, Valli, ſi Xenophon, ſi Athenæus aſſerunt id dixiſſe Platonem, nónne validiſſimè confirmatur Platonem dixiſſe? At redit mecum in memoriam & tertius teſtis incorruptus, atque integer Ariſtides, quem puto non infirmabis. Ipſum enim Platonem alloquitur, à quo, ſi rem, vti erat, non protuliſſet, facillimo negotio mendacij fuiſſet inſimulatus, oratione ſecunda Platonica. οὐδὲ γε τῶν Πλάτωνος σύγγραμμά ἐστι Πλάτωνος οὐδὲν, οὐδὲ ἔσται. πόθεν; ἀλλὰ ταῦτά ἐστι Σωκράτους νέου, καὶ καλοῦ γεγονότος. εἶθ᾽ ὁ μὲν γράψας οὐ γέγραφεν. *Et nil cùm ſit, vt opinaris Valli, nihil tamen vt deſit, en & alium teſtem ex purpura, & ex ſtemmate id idem, Iulianum, inquam, Imperatorem, Oratione* εἰς τοὺς ἀπαιδεύτους κύνας, *aſſerentem profero:* ἐπεὶ καὶ Πλάτων ἐξομνύμενος φαίνεται τὰ ξυγγράμματα· οὐ γάρ ἐστι Πλάτωνος ξύγγραμμα οὐθὲν, οὔτ᾽ ἔσται. τὰ δὲ νῦν φερόμενά ἐστι Σωκράτους ἀνδρὸς καλοῦ, καὶ νέου. *Et Vallius, Quidquid dicas, promiſſa non perficis. Fac ſis ea ſemel tandem appareant, ſi potes. Etiamſi mille nobis teſtes congeſſeris, fruſtra erit. Platonem tantùm profer, & palmarium habe. Promiſeram, inquam, quòd omninò in Platone percurreram. Sed ô me immemorem, nimis vrges Valli! Anne parum, ſubdit ille, vrgetur Plato, qui Cornicula per te riſum mouit, furtiuis nudata coloribus? Salua res eſt, inquam. Dum nimium opprimis, telum, quod ſors offerebat, effregi. Iam recordor, iam memini. Plato itaque ipſe de ſe ait, nihil vnquam vel ſcripſiſſe, vel poſtquam*

ſcripturum, in epiſtolis, quæ ſine dubio Platonis ſunt, nec inter illius νοθευόμενα *reiiciuntur, idque non ſemel, ſed bis aſſeuerat. Primus locus eſt in ſecunda epiſtola ad Dionyſium.* μεγίστη δὲ φυλακὴ τὸ μὴ γράφειν, ἀλλ' ἐκμανθάνειν. οὐ γὰρ ἔστι τὰ γραφέντα μὴ οὐκ ἐκπεσεῖν. διὰ ταῦτα οὐδὲ πώποτε ἐγὼ περὶ τούτων γέγραφα, οὐδ' ἔστι σύγγραμμα Πλάτωνος οὐδὲν, οὐδ' ἔσται. τὰ δὲ νῦν λεγόμενα Σωκράτους ἐστὶ καλοῦ, καὶ νέου γεγονότος. *Et ne videatur Plato mentiri, vel ſimilia illi memoria lapſo excidiſſe, repetit & ſecundò, epiſtola ſeptima ad Dionis propinquos, & familiares; & vt meliùs illius ſententia haberi poſſit, locum integrum recitabo.* ὕστερον δὲ καὶ ἀκούω γεγραφέναι αὐτὸν, *Dionyſium intelligit,* περὶ ὧν τότε ἤκουσε συνθέντα ὡς αὐτοῦ τέχνην, οὐδὲν τῶν αὐτῶν ὧν ἀκούοι. οἶδα δὲ οὐδὲν τούτων. ἄλλους μέν τινας οἶδα γεγραφότας περὶ τῶν αὐτῶν τούτων. οἵτινες δὲ οὐδ' αὐτοὶ αὑτούς. τοσόνδε γε μὴν περὶ πάντων ἔχω φράζειν τῶν γεγραφότων, καὶ γραψόντων. ὅσοι φασὶν εἰδέναι περὶ ὧν ἐγὼ σπουδάζω, εἴτ' ἐμοῦ ἀκηκοότες, εἴτ' ἄλλων, εἴθ' ὡς εὑρόντες αὐτοὶ, τούτους οὐκ ἔστιν, κατά γε τὴν ἐμὴν δόξαν, περὶ τοῦ πράγματος ἐπαΐειν οὐδέν. οὔκουν ἐμόν γε περὶ αὐτῶν ἐστι σύγγραμμα, οὐδὲ μήποτε γένηται. ῥητὸν γὰρ οὐδαμῶς ἐστιν, ὡς ἄλλα μαθήματα, *&c. Vtque magis id probet epiſtola decima tertia, quam plerique inter* νοθευόμενα*, dubium an probè, reiiciunt, Dialogum à ſe ſub Phædonis nomine, in quo de immortalitate animorum diſputat, editum, de quo ad hunc diem nemo, quod ſciam, an Platonis eſſet dubitauit, Socrati tribuens* Σωκρατείους λόγους *nuncupauit. En verba,* ἐπιεικῶς δὲ γιγνώσκεις τοὔνομα Κέβητος, γεγραμμένος γὰρ ἐστιν ἐν τοῖς Σωκρατείοις λόγοις μετὰ Σιμμίου Σωκράτει διαλεγόμενος ἐν τῷ περὶ ψυχῆς λόγῳ, ἀνὴρ πᾶσιν ἡμῖν οἰκεῖός τε, καὶ εὔνους. *dicti-*

que huius vestigia impressa conspicio in Lucillio apud Nonium, Vbi nunc Socratici charti? *& ex Lucillio Horatius de Arte Poëtica: nec dissentiunt Pigna, Madius, de Noras,*

Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ.

Platonis item librum, quem Ambracion Cleombrotus legerat, hincque se è muro in mare abiecerat, Socraticum Opus *Ouidius in Ibin vocauit,*

Vel de præcipiti venias in tartara saxo,
Vt qui Socraticum de nece legit opus.

Annon etiam Aristoteles ipse Platonem Socratem nominat, dum Platonis placita carpit? Adi sis librum eius Ethicorum sextum, vbi super eo, omnes virtutes prudentias esse, tradit Socratem partim rectè quærere, partim errare, & per Socratem ibi Platonem intelligere in libris de Republica, præterquàm quòd manifestum est, adnotauit etiam Eustratius. Dicant quidquid velint alij, Platonicos Dialogos, Socraticos sermones vocauit lib. 3. Ethic. διὰ τί γὰρ οὐκ ἔχουσιν οἱ μαθηματικοὶ λόγοι ἤθη, ὅτι οὐδὲ προαίρεσιν. τὸ γὰρ οὗ ἕνεκα οὐκ ἔχουσιν. ἀλλ' οἱ Σωκρατικοί· περὶ τοιούτων γὰρ λέγουσιν. *& lib. de Poëtica.* οὐδὲν γὰρ ἔχομεν ὀνομάσαι κοινὸν τοῦ Σώφρονος, καὶ Ξενάρχου μίμοις, καὶ τοὺς Σωκρατικοὺς λόγους. *Nec alio sensu intellexerunt Aristotelem Madius, Lombardus, Robortellus, Casteluetrius, Riccobonus, alij; & acutè satis Benius affirmantium Socraticos sermones esse carmen, quod Socrates morti proximus fecit, vt oraculo obtemperaret, sententiam explosit. & somnia nobis narrant, qui eos dicunt esse Poëmata Socratis, quorum Plato, Apuleius, & Suidas meminerunt, vt adnotat Madius. siue enim Platonis Dialogos tantùm*

indicat Aristoteles; siue Xenophontis, Æschinis, & aliorum Socraticorum, vt vult Maioraggius, inter quos non minimum sibi locum vindicant Platonis Dialogi, certum est, quæ modò sub Platonis nomine scripta circumferuntur, à sapientissimis olim Socrati fuisse attributa, & sub illius nomine diuendita. Quid hîc euidentius dici potest? An obmutescis Valli? Non præterita, sed futura etiam scripta apertissimis verbis Plato denegat. O iam prostratos Platonis Dialogos, & eodem Platone sententiam ferente, dignitate propria, Platonis scilicet nomine spoliatos! Anne dormitabat, cùm hæc scriberet? Tum Gaspar; Non quòd omninò non scripserit, verba illa dicta existimo; Scripsit enim quàm plurima, sed quòd de præcipuis, augustissimis, aut abstrusissimis Philosophiæ, ac Theologiæ Ethnicæ capitibus, vt fusissimè etiam disputat Bessarion Cardinalis lib. 1. aduersus Calumniatorem Platonis, pauca atque obscura conscripserat, & in vulgus protulerat; ea ratione, ac si non tradidisset, sibíque reseruasset in abditis; contra aliorum audaciam, qui passim omnibus, non sine temeritatis nota, quæ erant silentio inuoluenda, contaminata euulgarunt. Et id est, inquam, quod exemplo isto Platonis, in Socrate etiam, qui nihil scripsisse dicitur, affirmandum esse contendo. Quamuis enim suæ doctrinæ præcipua ipse capita scripto non mandarit, non inde concluditur, neque alia, neque epistolas scripsisse. Plato etiam, dum se in posterum nihil scripturum esse affirmat, eodem ipso tempore epistolas scribebat, & valdè prolixas. Et quemadmodum de aliis, ita & de Socrate philosophandum mihi esse autumo. Quamuis enim Plato dicatur nihil scripsisse, scripsit tamen plu-

rima; sic in Socrate nec vires dicendi, nec eloquentiæ lumina deerant in Oratoria arte, quam ipse Athenis professus fuerat, promptus, atque acer. Tum Leonida; En iterum nobis, inquit, qui testimonio omnium sapientissimus iudicatur, dicto Allatij erit & dicendi magister, & inter alios eloquentissimus. Quidni? ego inquam. Et Leonida hoc ipsum, ait, quòd in Oratoria arte fuerit elinguis, ac planè puer. Nam, vt asserit Cicero de Oratore lib. primo, damnatus est nullam aliam ob culpam, nisi propter dicendi inscitiam. An ab hoc itaque peti potuerunt præcepta dicendi? Tum ego; Non disputo, an possit esse sapiens, qui disertus non est. At esto. Demus sapientiam ab eloquentia seiunctam. Illud planè absurdum iudico, inscitia dicendi Socratem fuisse damnatum, nec minùs absurdum quod sequitur, in eo nullam facultatem orationis valuisse. Noluit ipse accusatoribus respondere. noluit sui causam apud Iudices suscipere. ideóne elinguis erit, & indisertus? Non defuisse patrocinium disertißimorum, quos ipse tamquam ineptos, ac imprudentes neglexit, certo certius est, eodemmet Cicerone teste. Aliud ergo illi in mente fuit, de quo pluribus disputant antiqui, recentioríśque æui Scriptores. Si respondisset, procul dubio manus Iudicum effugisset. Non respondit. noluit; non quia nesciuit. Et Gaspar; Eloquentiæ, litterarúmque, vt ita dicam, inscitiam à multis obiectam in eius vita narrauit Porphyrius, & ex Porphyrio Theodoretus. Verba Porphyrij, quia non nemini noua videri poterunt, hîc subiiciam. ἀλλ' ἴσως τὴν μὲν πρώτην ἡλικίαν λιθουργῶν διετέλεσεν. ὕστερον δὲ λόγων ποιητικῶν, καὶ ῥητορικῶν ἐρασθεὶς παιδείας μετέλαχεν. ἀλλ' οὐδὲ τοῦτό ἐστιν εἰπεῖν· πολὺ γὰρ τοὐναντίον φη-

σιν ὁ Πορφύριος, λέγει δὲ οὕτως. εἶναι δὲ αὐτὸν πρὸς οὐδὲν μὲν ἀφυᾶ, lego εὐφυῆ, ἀπαίδευτον δὲ περὶ πάντα, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν. σχεδὸν δὲ οὐδὲ γράμματα πάνυ τι ἐπίστασθαι, ἀλλ' εἶναι γελοῖον, ὁπότε τι δέον, ἢ γράψαι, ἢ ἀναγνῶναι βατταρίζοντα ὥσπερ τὰ παιδία. *Quæ an vera ſint meritò quis dubitare poterit. Sed, ſi vera fuerint, iam ſapientiam illam Socratis adeò à præclariſſimis Viris laudatam, rudem, agreſtémque cognoſcimus, qui non epiſtolas, ſed nomen etiam ſuum inconcinnè, & οὐ πάνυ ἐπιτετευγμένος, vt de eius in Æſopi Fabulas interpretatione aſſerit Laërtius, ſcribere potuerit. Tum Zacchias; ſæpiſſimè non ſine ſtomacho legi Libellum Cardani de ſtudio Socratis, in quo Virum non tantùm indoctum rabulam, inurbanum, ac ruſticum, ſed rerum omnium imperitum, & nullo vſu, nullo ſtudio litterarum præditum nititur demonſtrare: in quo aſſerendo iactantiam hominis, non acumen ingenij ſemper admiratus ſum. O Socratem, inquam, hominum ſtultiſſimum! ô lapidem omninò, haud hominem! Quis crederet eum, è cuius ludo, quod de Iſocrate affirmabat Cicero, tanquam ex Equo Troiano, tot Philoſophi, tot Oratores, tot rerum publicarum Adminiſtri, & Principes, non ſegnes illi quidem, ac impoliti, ſed prudentes, eloquentes, diſerti, magiſtri denique Diſciplinarum omnium exierunt; in omni re litteraria tyronem, ac peregrinum fuiſſe? Multa in eum vel inſcitia rerum, vel malignitate, congeſſit antiquitas. Multa in eum ſiue æmulationis, ſiue religionis ſtudio, ſiue quòd inferiores exiſtimarentur, inconſiderati homines oblatrarunt, quæ licet in ſcripta relata ſint, non tamen vti veris attenderunt prudentiores. Habemus teſtes locupletiſſimos, Platonem, Xenophontem, cæteros il-*

lius æui Scriptores, qui doctrinam, consilium, ingenium tanti Viri venerati sunt; qui licèt in multis de illius sapientia, & quod magis mirere, eloquentia detrahere videantur; siue eum potiùs sibi amentiam ac ignorantiam obiicientem introducant; id tamen eos, more Socratis, ironia scilicet, ac dissimulantia, quibus ille omnibus præstitit, fecisse verosimillimum est. Nec dignus est Cardanus, cui in hoc negotio respondere velimus. Quàm multa ille fatuè, quàm inconcinnè, quàm inconsideratè effutit. Abundè satis illi satisfecisset Socrates, non minùs ac Iudicibus, qui eum condemnarunt, non respondendo. Quis, vt multa præteream, Cardani ferret deliramentum, qui Æschinem Socraticum, ab Æschine Oratore, Demosthenis hoste, quod vel pueri norunt, non discernit? Quis illius in asserendis Socratis Discipulis. Et Zacchias; Eloquentia Socratis, non Cardani inscitia tibi probanda est. Ita est, inquam; sed quidnam Cardanum in innocuum Virum adeò apertè mentiri, mentientem, ac labentem ipsum in plurimis, compulit? O dignum Nerone Magistro discipulum! Multa, Zacchias inquit, in Cardanum, vt video, iactas; non tamen à Socrate ieiunitatem bonarum Artium expellis; vt hinc eum Epistolas scripsisse fateri non vereamur. At expellam, inquam, si placet, si Cardanus etiam ex hoc iudicio, tanquam flocci, expellatur. Nihil frugi, ait Zacchias, Cardanus in Socratem attulit. Ideóne Socrates eruditus, ac eloquens fuerit? At fuit, inquam, etiam inuito Cardano; quod testimoniis veterum in eius vita fusissimè probauit Laërtius. En verba. ὅθεν καὶ Τίμωνα ἐν τοῖς σίλλοις εἰπεῖν, ἐκ δ' ἄρα τῶν ἀπέκλινε λιθοξόος, ἐννομολέσχης,

Ἑλλήνων

Ἑλλήνων ἐπαοιδὸς, ἀκριβολόγοις ἀποφήνας, μυκτὴρ ῥητορόμικτος, ὑπαττικὸς, εἰρωνευτής. ἦν γὰρ καὶ ἐν τοῖς ῥητορικοῖς δεινὸς, ὥς φησι καὶ Ἰδομενεύς. ἀλλὰ καὶ οἱ τριάκοντα αὐτὸν ἐκώλυσαν τέχνας διδάσκειν λόγων, ὥς φησι Ξενοφῶν, καὶ Ἀριστοφάνης αὐτὸν κωμῳδεῖ, ὡς τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιοῦντα. καὶ γὰρ πρῶτος, ὥς φησι καὶ Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ, μετὰ τοῦ μαθητοῦ Αἰσχίνου ῥητορεύειν ἐδίδαξε. λέγει δὲ τοῦτο καὶ Ἰδομενεὺς ἐν τοῖς περὶ τῶν Σωκρατικῶν. *Annon illud unum Iudices Anytus, & Melitus, aliique monuerunt, ut diligenter cauerent, ne à Socrate seducerentur, quasi dicendi facultate ipse valeret; ut legimus apud Platonem in Apologia?* μάλιστα δὲ αὐτῶν ἓν ἐθαύμασα τῶν πολλῶν, ὧν ἐψεύσαντο, τοῦτο ἐν ᾧ ἔλεγον, ὡς χρὴ ὑμᾶς εὐλαβεῖσθαι, μὴ ὑπ' ἐμοῦ ἐξαπατηθῆτε, ὡς δεινοῦ ὄντος λέγειν. *& aliis interiectis.* ἔπειθόν τε, καὶ κατηγόρουν ἐμοῦ οὐδὲν ἀληθὲς, ὡς ἔστι τις Σωκράτης ἀνὴρ σοφὸς, τά τε μετέωρα φροντιστὴς, καὶ τὰ ὑπὸ γῆς πάντα ἀνεζητηκὼς, καὶ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιῶν. *Xenophon item* ἀπομνημονευμάτων *lib. 4. laudem eloquentiæ illi tribuit,* ἱκανὸς δὲ καὶ λόγῳ εἰπεῖν τε, καὶ διορίσασθαι τὰ τοιαῦτα. ἱκανὸς δὲ καὶ ἄλλον δοκιμάσαι τε, καὶ ἁμαρτάνοντα ἐξελέγξαι, καὶ προτρέψασθαι ἐπ' ἀρετὴν, καὶ καλοκἀγαθίαν. *Nihil agis, ait Victorellus, verbáque dares, si, quod apud omnes penè in confesso est, comprobare nitereris. Nemo de illius dicendi facultate dubitauit. Potuit, si voluit; quòd voluerit, dum alia scripsit, satis abundè demonstratur. Ast alia scripsisse eum, quemnam nobis testem adducis? Plures, inquam, & inter eos non infimi nominis Virum, Epictetum, celebrem illum Philosophum. Is enim apud Arrianum, in Disputationibus lib. 2. cap. 1. neminem alium ipso Socrate plura scripsisse fatetur.* τί οὖν Σωκράτης

N.

οὐκ ἔγραφε, καὶ τίς τοσαῦτα; ἀλλὰ πῶς; ἐπεὶ μὴ ἐδύνατο ἔχειν ἀεὶ ἐλέγχοντα αὐτοῦ τὰ δόγματα, ἢ ἐλεγχθησόμενον, ἐν τῷ μέρει αὐτὸς ἑαυτὸν ἤλεγχε, καὶ ἐξήταζε. καὶ ἀεὶ μίαν γέ τινα πρόληψιν ἐγύμναζε χρηστικῶς, ταῦ λέγω ἄλλοις ἀφίησι τοῖς ἀναισθήτοις, ἢ τοῖς μακαρίοις τοῖς σχολὴν ἄγουσιν ὑπὸ ἀπραξίας, ἢ τοῖς μηδὲν ἑξῆς ὑπολογιζομένοις διὰ μωρίαν. *Permulta ergo ſcripſit Socrates, quamuis non ad oſtentationem, ſed corrigendi ſui gratia; cuius exemplo ſe etiam Epictetus defendit. Et Gaſpar; Mirum ſanè eſt in apertiſſimis verbis alios tam inſulsè cæcutiſſe, affirmaſſéque Socratis nomen pro alio in hunc locum irrepſiſſe, ſolo vnius Laërtij, ſcripta Socratis conticeſcentis, teſtimonio adductos; eóque præcipuè, quòd Laërtius in Proœmio ſui Operis Socratem inter eos recenſuerit, qui nihil à ſe ſcriptum reliquerunt. Et falluntur, inquam, iſti, mi Gaſpar, Laërtióque, quod nec ſomniauit quidem, appingunt. Id enim ille Auctor non ex ſui, ſed ex aliorum ſententia tradit. De Philoſophis enim ſermonem habens, hæc ſubdit.* καὶ οἱ μὲν αὐτῶν κατέλιπον ὑπομνήματα, οἱ δ᾽ ἄλλως οὐ συνέγραψαν, ὥσπερ κατά τινας Σωκράτης, Στίλπων, Φίλιππος, Μενέδημος, Πύῤῥος, Θεόδωρος, Καρνεάδης, Βρύσων. κατά τινας Πυθαγόρας, ἀρίστων ὁ Χῖος πλὴν ἐπιστολῶν ὀλίγων. *Non ergo Laërtius id affirmat, ſed id ex aliorum ſententia, incertum quantum ipſe illi ſententiæ deferat, tradit: immò nihil detuliſſe, ex diſſidio Auctorum, inter quos, quinam ſcripſerint, vel non, non conuenerat, certum eſt. Vide itaque quantum auctoritatibus, ex Scriptoribus ad comprobandum adductis, fidendum ſit. Ad hæc Victorellus; Teſti, aiebat ille, nonniſi oculato credendum eſt; ego adderem, nec Auctori, quem ipſe oculatus non legeris: adeò*

pernicies iſta, ex falsò productis teſtimoniis alios fallendi, in Rempublicam litterariam ſæuiit. Tum ego; Alij iſta iudicent, & condemnent, ſi lubet; at nobis otium id non fuerit. Illud tamen noto, Epiſtolas hîc à Commentariis, & ſcriptis maximoperè differre; quod ſuprà etiam ex aliis adnotabam. Sed dicas, Valli, quænam hæc ſcripta tam multa Socratis fuerunt, quorum meminit Epictetus? Quid nunc obticuiſti? Aliquid mihi animus præſagit boni, dum te video in hac quæſtione, mente atque animo defixum. Nec enim inconſideratè, vt multa iſti noſtri ſeculi Magiſtelli ſolent, loqueris. At effare tandem, quod tamdiu concepiſti. Quid aliud, inquit Vallius, quàm quod anteà ex dicto illo Platonis concludebatur? ſcripta ſcilicet Platonis intelligi, quæ Socratis eſſe, nec ipſe Plato negauit, attamen καλοῦ τε καὶ νέου γεγονότος. *Neque incomptè, ſubdit Gaſpar, adaptari poſſet illud Hieronymi epiſt. aduerſus Rufinum, qui reprehenſus à Rufino, quòd ſe dixerat aliquid apud Pythagoram legiſſe, cuius nullum extaret ſcriptum, reſpondit;* De dogmatibus, non de Libris locutus ſum, quæ potui in Cicerone, Bruto, ac Seneca diſcere. Lege pro Vatinio Oratiunculam, & alias, vbi Sodalitatum mentio fit. Reuolue Dialogos M. Tullij; reſpice omnem oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, & Pythagoræorum Dogmatum inciſa publicis literis æra cognoſces. *De Dogmatibus, non de Libris locutus eſt, quæ potuit in Platone, Xenophonte, Æſchine, Antiſthene, atque aliis diſcere. Lege Diſſertationes Maximi Tyrij, & alia, vbi Moralis Philoſophiæ mentio fit. Reuolue Dialogos M. Tullij. reſpice omnem oram Græciæ, &*

quæ ab eadem Græcia ortum habuit, & Socraticorum Dogmatum incisa publicis literis æra cognosces. De eo enim, ac de Homero dici potest.

Τίς ποτε Σωκράτεος μεγάλης ὄπος ἐστὶν ἀπευθής;
Τίς χθών, τίς δὲ θάλαττα τόσην οὐκ ἔκλυε φήμην;
Δῆμος ὁ κιμμερίων πολυδερκέος ἄμμορος αἴγλης,
Δαιμονίης ἀρετῆς ὄνομ᾽ ἔκλυεν, ἔκλυεν Ἄτλας
Οὐρανὸν εὐρύστερνον ἔχων ἐπικείμενον ὤμοις.

Nominatim etiam, inquam ego, proferuntur ex illius scriptis non pauca, quæ illi surrepta, sub alieno nomine diuendita sunt: quod nec tacuerunt Socratici ipsi. Primùm itaque in componendis Tragœdiis Euripidi operam nauauit. id ex Mnesilocho, & Callia refert Laërtius. ἐδόκει δὲ συμποιεῖν Εὐριπίδῃ, ὅθεν Μνησίλοχος οὕτω φησίν,

Φρύγες ἐστὶ καινὸν δρᾶμα τοῦτ᾽ Εὐριπίδου,
Ω καὶ Σωκράτης τὰ φρύγανα ὑποτίθησιν.

καὶ πάλιν Εὐριπίδης * Σωκρατογόμφους. καὶ καλλίας πεδήταις,

Ηδη σὺ σεμνὴ, καὶ φρονεῖς οὕτω μέγα;
Εξεστι γάρ μοι. Σωκράτης γὰρ αἴτιος.

Tum Gaspar, συμποιεῖν ἐστι, *unà cum alio poëma facere, quod* vnà scribere *apud Latinos elegantissimè dixit Terentius in Prologo Adelphorum.* Nam quod isti dicunt maleuoli homines, nobiles eum adiutare, assiduéque vnà scribere. *Non mirum ergo, si senex postea ad Poësim animum aduerterit, conscripseritque Pæana, cuius meminit Dio; & Æsopicas Fabellas carmine expresserit, quarum Plutarchus. Et meminêre, inquam, alij. Laërtius in eius vita principia etiam eorum recenset.* ἀλλὰ καὶ Παιᾶνα κατά τινας ἐποίησεν, οὗ ἡ ἀρχή,

Δήλι᾽ Ἄπολλον χαῖρε, καὶ Ἄρτεμι παῖδε κλεινώ.

Διονυσόδωρος δέ φησι μὴ εἶναι αὐτοῦ τὸν Παιᾶνα. ἐποίησε δὲ καὶ μῦθον Αἰσώπειον οὐ πάνυ ἐπιτετευγμένως, οὗ ἡ ἀρχή,

Αἴσωπός ποτ' ἔλεξε Κορίνθιον ἄστυ νέμουσι
Μὴ κρίνειν ἀρετὴν Λαοδίκῳ σοφίῃ.

Quod Laërtius Pæana προοίμιον εἰς τὸν Ἀπόλλω *vocauit Plato in Phædone; à quo etiam Carminum conditorum causa redditur.* ὁ οὖν Κέβης ὑπολαβών, νὴ τὸν Δία, ἔφη, ὦ Σώκρατες, εὖγε ἐποίησας ἀναμνήσας με. περὶ γάρ τοι τῶν ποιημάτων, ὧν πεποίηκας, ἐντείνας τοὺς τοῦ Αἰσώπου λόγους, καὶ τὸ εἰς τὸν Ἀπόλλω προοίμιον, καὶ ἄλλοι τινές με ἤροντο ἤδη, ἀτὰρ καὶ Εὐηνὸς πρῴην, ὅ, τι ποτὲ διανοηθείς, ἐπειδὴ δεῦρο ἦλθες, ἐποίησας αὐτά, πρότερον οὐδὲν πώποτε ποιήσας. εἰ οὖν τί σοι μέλει τοῦ ἔχειν ἐμὲ Εὐηνῷ ἀποκρίνεσθαι, ὅταν με αὖθις ἐρωτᾷ, εἰπὲ τί χρὴ λέγειν. *& post pauca.* ἀσφαλέστερον γὰρ εἶναι μὴ ἀπιέναι πρὶν ἀφοσιώσασθαι ποιήσαντα ποιήματα, πειθόμενον τῷ ἐνυπνίῳ. οὕτω δὴ πρῶτον μὲν εἰς τὸν Θεὸν ἐποίησα, οὗ ἦν ἡ παροῦσα θυσία. μετὰ δὲ τὸν Θεόν, ἐννοήσας, ὅτι τὸν ποιητὴν δέοι, εἴπερ μέλλοι ποιητὴς εἶναι, ποιεῖν μύθους ἀλλ' οὐ λόγους, καὶ αὐτὸς οὐκ ἦν μυθολογικός, διὰ ταῦτα, οὓς προχείρους εἶχον, καὶ ἠπιστάμην μύθους τοῦ Αἰσώπου, τούτων ἐποίησα, οἷς πρώτοις ἐνέτυχον. *Nec alium de ſua habuit Plutarchus. Tum Vallius; Socrates, vt Platoni placet, exacta ferè ætate carmen condidit; cùm id nunquam anteà feciſſet: quanam ergo ratione anteà dixeras eum cum Euripide Tragœdias compoſuiſſe? Quidni, inquam? Quomodo, ait Vallius, verum eſſe potuit vnum carmen componere, & non componere? Facillimo, inquam, negotio. Non ipſe ex ſe, & tanquam ſua compoſuit; & Euripidi opem tulit, non alia ratione, quàm qui igni accenſo ſarmenta ſupponit, licèt flammas augeat, non ignem tamen accendere dicitur.*

At carmen in Apollinem, & Æsopicarum Fabellarum Paraphrasim ipse, suo marte conscripta, ac compta, voluit vti sua apud posteros extare. Neque fallere nos debet Laërtius, dum ait μῦθον Αἰσώπειον, *quasi vnam tantùm Æsopi fabulam fecerit, Plato enim* τοὺς τοῦ Αἰσώπου λόγους, *&* μύθους τοὺς Αἰσώπου, *omnes scilicet, quæ tunc sub Æsopi nomine Fabellæ in manibus hominum terebantur. Pæana* προοίμιον *etiam vocauit Themistius orat. 14.* ἐπεὶ καὶ Σωκράτης ὁ Σωφρονίσκου τοῦ μὲν δήμου τὰς ὀργὰς, καὶ τοὺς ἐπαίνους ἐν λόγῳ οὐδέποτε ἐποιήσατο. ἐκυδροῦτο δὲ καὶ ἐπεποίθει τῇ τοῦ Θεοῦ μαρτυρίᾳ, δι' ἧς ἀνεῖπεν αὐτὸν σοφίᾳ νικᾷν τοὺς τότε ἀνθρώπους, καὶ ᾤετο δεῖν ἐκτιννύναι τὸ χαριστήριον τῷ τε Ἀπόλλωνι τῆς μαντείας, καὶ Χαιρεφῶντι τῆς ἐρωτήσεως. καὶ ἔστι Σωκράτει προοίμιον πεποιημένον ἐν τόνῳ ἑξαμέτρῳ πρὸς τὸν Θεόν. *Dionysodorus tamen non esse illius Pæanem affirmat apud Laërtium,* Διονυσόδωρος δέ φησι μὴ εἶναι αὐτοῦ τὸν Παιᾶνα. *Multò tamen in hoc fide dignior Plato censeri debet. Nec vincta tantùm, sed soluta etiam oratione plura dicitur composuisse. Et Meronus; Vide quomodo Scriptorem nobis, eúmque luculentum, quem nec litteram scripsisse alij tradiderunt, Allatius compingat. Anne ego, inquam, silentio id obuoluam, si ab aliis scribitur composuisse? At sicuti, ait Meronus, præter expectationem veniunt, ita quoque incredibilia existimantur. At verò Auctores, quos do, respondi, non qualiscumque, sed firmi, ac veri testimonij pondus habent: eos, si quæ affero, displicent, falsitatis arguito, si potes, & manus dabo. Sed institutam orationem prosequar. Gryllum Xenophontis filium ab innumeris eloquentiæ Professoribus, variis orationibus, ac epitaphiis laudatum scimus; inter eos, si Hermip-*

po credimus, non vltimum locum obtinuit Socrates. Refert Laertius. ἀλλὰ καὶ Ἕρμιππος ἐν τῷ περὶ Θεοφράστου, καὶ Σωκράτη φησὶ Γρύλλου ἐγκώμιον γεγραφέναι. *Possem hîc etiam, Platonis testimonio, Dialogos ipsos, & Monumenta Platonis Socrati vindicare. Et Zacchias; Satis vt opinor, vindicasti; nec dubito inde nonnullos, vel eo solo, Platonis illas Epistolas à genuinis illius Libris reiecturos. Non fiet, inquam. nimium enim clarè Platonem ipsum sapiunt. Verùm de his posthac suo loco dicam, quod sentio. Æschinis Dialogos à Socrate compositos non recentiores, sed Scriptores illius æui suspicati sunt. & ob id à Menedemo Eretriensi sæpiùs in ius vocatum Æschinem tradit Laertius.* διεβάλλετο δ' Αἰσχίνης, καὶ μάλιστα ὑπὸ Μενεδήμου τοῦ Ἐρετριέως, ὡς τοὺς πλείστους διαλόγους ὄντας Σωκράτους ὑποβάλλοιτο λαμβάνων παρὰ Ξανθίππης. *Idem confirmat Athenæus lib. 14. qui de Æschine ita scribit.* ὃν ἐκ τῶν φερομένων ὡς αὐτοῦ διαλόγων θαυμάζομεν ὡς ἐπιεικῆ, καὶ μέτριον, πλὴν εἰ μὴ ὡς ἀληθῶς τοῦ σοφοῦ Σωκράτους ἐστὶ συγγράμματα, ἐδόθη δ' αὐτῷ ὑπὸ Ξανθίππης τῆς Σωκράτους γυναικὸς μετὰ τὸν ἐκείνου θάνατον, ὡς οἱ ἀμφὶ τὸν Ἰδομενέα φασίν. *Adeò vt Aristippus ipsi viuenti, legentíque eos furtum obiecerit. Laertius,* τούτους καὶ διαλόγους καὶ Ἀρίστιππος ὑπώπτευεν, ἐν γοῦν Μεγάροις ἀναγινώσκοντος αὐτοῦ φασι σκῶψαι εἰπόντα, πόθεν σοι λῃστὰ ταῦτα; *Hanc opinionem falsam existimauit Aristides; non ita tamen, vt eam tanquam improbabilem reiiceret, Oratione secunda Platonica.* μαρτυρεῖ δὲ καὶ ἡ ψευδὴς ἐνίων δόξα τῶν αὐτοῦ Σωκράτους εἶναι τὰ γράμματα ταῦτα ὑπειληφότων. οἷς εἰ μὴ τὸ ὅλον πιστεύειν ἄξιον· ὥσπερ ἐγὼ πρῶτος οὐκ ἂν φαίην· ἀλλ' οὖν οὐκ ἐπὶ πάσης γε τῆς ἀλογίας ἡ πλάνη συμβέβηκεν. ἀλλ' οὕτω σφόδρα

ταῦτα οἰκεῖα τοῦ Σωκράτους ἤθει, καὶ προσήκοντα ἐκρίθη, ὥστε ἐν ταύτῃ τῇ δόξῃ γενέσθαι χώραν. Tum Gaspar; *An hæc ſcripſerit Socrates in dubio relinquamus, fidéſque ſit apud Auctores. Hiſce tamen illud omninò probatum exiſtimo, Socratem plura conſcripſiſſe, quæ qualia fuerint, in antiquitatis tenebris latent. At quanam id fieri ratione potuit, vt homo à ciuilibus negotiis valdè alienus, ſtudiis, ac reformandis moribus addictiſſimus, ætate longæua, dummodò ſcribere ſciuerit, non aliquid ſcripſerit, vel ad alios ſuadendos, vel ad ſui memoriam conſeruandam? Scripſit, inquam, omninò, ſed ea ſibi reſeruabat, vel, amicis ſuis communicata, rurſus in capſula recludebat. Ipſe enim, quemadmodum in aliis, ita & in hoc adamuſſim Pythagoram imitatus, qui ſcripta ſua familiaribus, iiſque fidiſſimis viuens communicabat, ac moriens Damæ filiæ loco depoſiti conſignauit, ea conditione, vt nemini extra familiam traderet. Damo poſtea, & ipſa moriens Viſtaliam filiam, ſicuti rerum, ita & Præceptorum Pythagoræ voluit eſſe hæredem, vt occulta ſapientiæ illa lumina conſeruarentur, nec inter improbos euulgata, maximo decoris ac famæ detrimento proſtituerentur: idque ad poſteros tranſmiſit Lyſis, epiſtola ad Hipparchum;* λέγοντι δὲ πολλοί σε καὶ δαμοσίᾳ φιλοσοφὲν, ὅπερ ἀπηξίωσε Πυθαγόρας, ὅς γε Δαμοῖ τᾷ αὐτοῦ θυγατρὶ τὰ ὑπομνήματα παρακαταθέμενος, ἐπέσκαψε μηδενὶ τῶν ἐκτὸς τᾶς οἰκίας παραδιδόμεν. ἃ δὲ δυναμένα πολλῶν χρημάτων ἀποδόσθαι τὼς λόγως οὐκ ἐβουλήθη. πενίαν δὲ καὶ τὰς τῶ πατρὸς ἐπισκάψιας ἐνόμιζε χρυσοῦ τιμιωτέρας ἦμεν. φαντὶ δὲ ὅτι καὶ Δαμὼ θνάσκουσα Βισταλίᾳ τῇ ἑαυτῆς θυγατρὶ τὰν αὐτὰν ἐπιστολὰν ἀπέστελεν. *Neque minùs Socrates ſcriptionis, ac rei bellicæ benè geſtæ laudem*

contempſit,

contempsit ; & quemadmodum victor ipse, aliis triumphum cesserat in administratione Reipublicæ, ita & in monumentis edendis, licèt illa conscripsisset, aliis tamen scriptionis plausus, & inanem gloriolam concessisse. Sed ô tempus edax! ô Scriptorum iniuria, quantum rei meæ infortunium peperistis! à quo telo viscera effodior! ô Epistolas, leuissimo blattæ, vel tineæ morsu confossas! Quænam hæc ruina, inquit Gaspar, te ex insperato tantopere affligit? Affligit, inquam, Socratis Epistolas; quarum mentionem è Libanio nequiter deleuit, & lumen, quo in hoc negotio rem malè gerere non poteramus, extinxit. Anne, ait Vallius, Epistolarum Socratis meminit Libanius? Meminit, inquam ego, in Apologia Socratis, sed in dubio, insanabili vulnere, donec meliores codices opem ferant, mentio illa iacet. Meminit enim ἐπιστολῶν & γραμμάτων, & vt verba illius innuunt, non aliarum, quàm de quibus concertatio est. Verùm lacuna interposita, & hians locus, siue verborum defectus, rem, vt puto, clarissimam obscurant, & certissimam non mediocri malo incertant. Verba enim ad alias aliorum epistolas, quos ibi commemorat, quispiam duro alioquin ingenio, & peruicaci, detorquere, licèt per vim, contendat tamen. Ideóque ea, cùm non habeam, ope meliorum Codicum destitutus, meliora, non exscribam. Forsan alij fortunatiores id, cùm minùs opus fuerit, assequentur. Et Vallius; Adhuc tamen hasce Epistolas Socratis esse noster non probauit Allatius. At probaui, inquam, onúsque mihi negotij impositi tuli. Nisi enim ego amens sum, principio disputationis illud probandum susceperam, Socratem aliquid scripsisse. Hoc si probaui, quid vlteriùs impedit, & has Epi-

stolas fuisse ab eo conscriptas? Multa subdit Vallius. Quænam hæc erunt, inquam? stylus, ait, compositio, forma. Et quis, inquam, ista obiecit? Tum Vallius; Nullus, quod sciam: suspicor tamen, si examinatæ à censoribus fuerint, illa obiicienda. Veréne, an falsò, inquam. Vallius, Verè & falsò. Tum ego, Hui, vt hic acutus est vir. Quomodo quæ verè opponuntur, falsò opponi dicemus. Et Vallius; At mea secus est sententia, quàm non inspicis. Quæ, inquam? Vallius, Multos scilicet studio veritatis, dum eas examinant, vera opponere posse; multos etiam altercandi studio, & omnia, quæ ipsi non probauerint, oppugnandi insolentia, pluráque in eas cauillari, sed falsa. Scio, inquam, non defecturos neque dicaces, neque cauillatores; de quibus sanè non laboramus. Quemadmodum & de iis, qui epistolas nondum viderunt, & tamen sola earum auditione, iam pernegant Socratis esse. si petas causam, nullam afferunt præter illam, non esse Socratis. & inepto quodam risu dicta comitantes, aliò sese conuertunt. Tum Gaspar; Hos ego esse puto infra omnes infimos homines, qui à congressibus litterariis æquè ac è sacris profani, arcendi sunt. Non defuêre tamen, nec deerunt, quousque studia florebunt, vt horum obtrectationibus, veluti post nubila Phœbus, clariores ac celebriores appareant, qui non inuitis Musis ad eruditionis studia animum cum fide aduertant. At vera, quæ contra has Epistolas afferent, quæ erunt? Duo illa præcipua, vt opinor, subdit Vallius. Nimis earum concinnam esse orationem, ac figurarum luminibus, contra quàm Philosophum deceat, & Socratem præsertim, interstinctam. esse etiam quædam declamatorum acumina. Pro-

ſopopœia etiam illa patris ad filium epiſtola 6. à Sophiſtarum penu videtur deprompta. Non ea iſta ſunt, inquam, Valli, vt auctoritatem epiſtolarum eleuent. Nunquam enim in vniuerſa Græcia, quàm Socraticis illis temporibus, magis eloquentia floruit. Tunc enim non natam, ſed adultam, ac mox ſepultam etiam cognoſcimus. Et quamuis etiam aliis temporibus renaſci viſa ſit, nunquam tamen ad tantam dignitatem peruenit. Quid igitur mirum, ſi ea ætate, Doctrinarum omnium lumen præclariſſimum, & in Oratoria facultate vir non poſtremus, oratoriè diſſerens, ornatiſſimè, atque eloquentiſſimè locutus eſt, & figurarum etiam luminibus orationem adumbrauit. Multa de Sophiſtico penu mutuatus eſt, non inficior, ſolemnem illius ætatis morem, cùm Sophiſtæ omnia occuparent, ſecutus. An non ſimilia, & ad nauſeam vſque in Platonis Dialogis, & Epiſtolis; Xenophontis Commentariis, quorum cognitione, ac intelligentia fretus, Valli, præ cæteris ea te tenere gloriaris, & tenes, inueniuntur? Illis nec abſtinuit Thucydides, homo ſeuerus, & talium deliciarum acerrimus oſor. Iſocrates, qui non modò Sophiſtarum improbitati iraſcitur, ſed eorum etiam rectè factis ſæpè faſtidit, an non Sophiſtarum lenociniis, & Gorgiæ detruncatis, ac mutilis ſententiolis, ac figuris puerilibus abundat? Nolo hîc loqui de Herodoto, Lyſia, Iſæo, Æſchine Oratore, & aliis in Sophiſtico amictu, atque ambitu penè omnia ἐξεργαζομένοις. *Æſchines ipſe Socraticus, cuius Dialogos Socratis fuiſſe ſuſpicati ſunt plurimi, ab hiſce næniis non abſtinuit. De eo Laërtius,* ἦν δὲ καὶ ἐν τοῖς ῥητορικοῖς ἱκανῶς γεγυμνασμένος, ὡς δῆλον ἔκ τε τῆς ἀπολογίας τοῦ πατρὸς Φαίακος τοῦ στρατηγοῦ, καὶ δι' ὧν μάλιστα μιμεῖ-

ται Γοργίαν τὸν Λεοντῖνον. *&* *Philoſtratus epiſtolâ ad Iuliam Auguſtam.* καὶ Αἰσχίνης ὁ ἀπὸ τοῦ Σωκράτους ὑπὲρ οὗ πρώην ἐσπούδαζες, ὡς οὐκ ἀφανῶς τοὺς διαλόγους κολάζοντος, οὐκ ὤκνει γοργιάζειν ἐν τῷ περὶ τῆς θαργηλίας λόγῳ. φησὶ γάρ που ὧδε. θαργηλία ἐλθοῦσα εἰς θετταλίαν, ξυνῆν Ἀντιόχῳ θετταλῷ, βασιλεύοντι πάντων θετταλῶν. *Plura in hanc ſententiam colligi poterunt ex eiuſdem Procemio in Vitas Sophiſtarum. Et, vt in pauca verba orationem conferam, Demoſthenes, qui Veneres omnes Oratorias, ſed molles, atque elumbes contempſit, ſæpenumerò inter Sophiſtarum choros ludere deprehenditur, & cum Gorgia ſuo deliciatur. Adeóne indecorum fuerit Socrati, ſi ſemel, aut bis in his Epiſtolis genio indulſerit, & morem ſui æui imitatus, ſeſe Philoſophum non agreſtem, & improbum, ſed ciuilem, atque humanum verbis leniſſimis ludibundus, commonſtrarit? Plura hîc poſſem addere, &, ſententiarum formis examinatis, nihil hîc eſſe dictum, quod ad priſtinum illud æuum non referatur, oſtendere: ſed ſuperuacaneum eſſe duco, nullo adhuc obiiciente, Apologiam in re certiſſimâ contexere.* καὶ διὰ τοῦτό γε, *verbis vtor Chionis Heracleenſis ex epiſtolis,* ἀπορῶ ἀπολογίας, ὅτι οὐδὲν ὁρῶ τὸ κατηγορούμενον. *Et Zacchias; Ita eſt profectò. Socratis has eſſe Epiſtolas Manuſcriptorum Codicum fide non dubitamus. Si quis dubitat, illi incumbit onus probandi. De Proſopopœia, inquam, iudicium expectatis: idem erit, ac de ſuperioribus. Non nouum illud genus dicendi in epiſtolis tunc fuit. Et, ne plura congeram, vnus mihi præ aliis Plato ſufficiat, epiſt. 7. qui Dionem in diſſimili argumento, at non diſſimili formâ loquentem introducit. His dictis, ſenſim Vallius recedens, neſcio quid inter ſe muſsitauit. nec*

multò pòst, iterato gressu, quasi animos resumpsisset, in me conuersus; Dic age, inquit. Quis in Socratem accusationem conscripsit? Anne id compertum est in historiâ? Ohe! quæ erit, inquam, ista tua percontatio, Valli? Quò intendas non reperio. ibo odorans, & vulpem vestigiis persequar. Orationem illam alij Anyto tribuunt; plerique Polycrati Sophistæ, & Polycratis fuisse legitur in epist. 14. quam Terpsion & Euclides Xenophonti miserunt. Ecquid, in menténe tibi sunt verba, ait Vallius? Et maximè, respondi. Recita nobis, infert, si potes. Et possum, inquam, & recitabo. Quid impedit? ὁ δὲ λόγος ὁ ἄθλιος ἤθελέ σε εἶναι ἐνθάδε, καὶ ἐγέλασας ἂν ἐν τῇ συμφοραῖς. ἰὼν δὲ Πολυκράτους τοῦ λογογράφου, ὃν ἐκεῖνος, ὥσπερ ἐν διδασκαλείῳ παῖδες τὰς ῥήσεις λέγοντες, ἀναβὰς ὁπότε κατηγόρει, ἐδεδίει τε, καὶ ἀπεστρέφετο, καὶ ἐπελανθάνετο. καὶ ἄλλοι αὐτῷ ὑπέβαλλον, καθότι, καὶ Καλλιππίδῃ τῷ ὑποκριτῇ, καὶ κακὸν κακῶς ἄνω τε, καὶ κάτω αὐτόν τε, καὶ τὸ σύγγραμμα ἐπιτρίψας, κατέβη. *Et Vallius; Scriptores epistolæ Polycratem ipsum Auctorem accusationis cognoscere potuerunt, & cognouerunt itaque. Ita est, subdo. Sed Polycrates hic non fuit illius Orationis Auctor, ait Vallius. Quid inde, inquam ego? Hoc, ait, Terpsionem, & Euclidem non scripsisse hanc epistolam; quando scripserint rem, quam ipsi optimè scire poterant, non vti gesta fuit. Illa enim Oratio sub Polycratis nomine vulgata, multis pòst annis conscripta fuit, & Polycratis fuisse Fauorinus etiam negat; quòd in ea facta sit mentio murorum à Conone instauratorum, quod constat factum sexto anno post mortem Socratis; & videtur Laërtius subscribere, cùm dicat;* καὶ ἔστιν οὕτως ἔχον. *Verba Laërtij.* συνέγραψε δὲ τὸν λόγον Πολυκράτης ὁ σοφιστής, ὥς φησιν Ἕρμιππος, ἢ Ἄνυτος ὥς τινες.

προητοίμασε δὲ πάντα Λύκων ὁ δημαγωγός. *& infrà.* Φαβωρῖνος δέ φησιν ἐν α' τῶν ἀπομνημονευμάτων μὴ εἶναι ἀληθῆ τὸν λόγον τοῦ Πολυκράτους κατὰ Σωκράτους, ἐν αὐτῷ γάρ φησι μνημονεύειν τῶν ὑπὸ Κόνωνος τειχῶν ἀνασταθέντων, ἃ γέγονεν ἐν ἔτεσιν ἓξ τῆς Σωκράτους τελευτῆς ὕστερον, καὶ ἔστιν οὕτως ἔχον. *Istæ itaque Epistolæ ab aliquo recentiore confictæ ſunt, non ea eadem tempeſtate ſcriptæ, qua finguntur. neque enim futura poterant prædicere, & muros poſt ſex annos inſtruendos tamquam factos commemorare. Non eæ ſunt, inquam, inſequentium Scriptorum coniecturæ, vt nos à præſentium, & oculatorum teſtium fide dimoueant. Quis iſta veriùs narrare potuit, Hermippúſne, an Fauorinus, qui poſt tot ſæcula vixit? Quis iſta meliùs Euclide, ac Terpſione, qui in ipſa concertatione non ſegniter interfuerunt, cognouerit? Neque leui coniectura rem pendi, teſtimonio etiam accuratiſsimi Scriptoris Iſocratis comprobatur, qui ad eumdem Polycratem laudationem Buſiridis direxit. In ea tanquam amicus adhortatur Polycratem, vt errata tum in Apologia Buſiridis, tum in Accuſatione Socratis ab ipſo commiſſa corrigat. Quo nihil clarius afferri poteſt.* αἰσθανόμενος οὖν ὡς ἥκιστά σε μεγαλαυχούμενον ἐπί τε τῇ Βουσίριδος ἀπολογίᾳ, καὶ τῇ Σωκράτους κατηγορείᾳ, πειράσομαί σοι ποιῆσαι καταφανὲς, ὅτι τοῦ δέοντος πολὺ ἐν ἀμφοτέροις τοῖς λόγοις διήμαρτες. *& paucis interiectis.* Σωκράτους δὲ κατηγορεῖν ἐγχειρείσας, ὥσπερ ἐγκωμιάσαι βουλόμενος Ἀλκιβιάδην ἔδωκας αὐτῷ μαθητὴν, ὃν ὑπ' ἐκείνου μὲν οὐδεὶς ᾔσθετο παιδευόμενον. ὅτι δὲ πολὺ διήνεγκε τῶν ἄλλων, ἅπαντες ἂν ὁμολογήσειαν. *Scripſit ergo Polycrates, quidquid Fauorinus in contrarium afferat, Socratis accuſationem. Graue ſanè eſt, ait Meronus, ad vindicandam accuſationem illam*

Polycrati, Isocratis téstimonium. & videtur in hoc, sicut etiam in multis aliis, Fauorinus nugas agere. Et si testimonium, inquam, certius, ac clarius (si tamen Isocratæo certius, clariúsque afferri potest) exoptas Valli, annon tibi subuenit Lysiam Socrati σύγχρονον, & vt plurimum conuiuam in Accusationem Polycratis, Apologiam pro Socrate scripsisse? Non noua narro. En eruditi sanè hominis, qui in Aristidis Panathenaicam Orationem scholia scripsit, auctoritas. διὰ τὸ διϊπετὲς παλλάδιόν φησι τὸ ἀπὸ Τροίας. ὁ γὰρ δημόφιλος παρὰ διομήδους ἁρπάσας εἰς τὴν πόλιν ἤγαγεν, ὡς Λυσίας ἐν τῷ ὑπὲρ Σωκράτους πρὸς Πολυκράτην λόγῳ. *Scripserit, ait Vallius, Orationem Polycrates. Quid de muris post eius mortem exstructis dicemus? Multa, inquam ego. Dapsiles semper nobis apparatus, ait Gaspar, facis Allati. Vnum tantùm si dixeris, cumulatè persolues. Incertum, inquam, est, an muri illi post mortem Socratis exstructi sint. Auctores enim neque de tempore natiuitatis, neque de tempore mortis conueniunt: &, quod magis est, neque de vitæ ipso spatio. Alij enim eum sexagenarium, alij septuagenarium, alij etiam octogenarium occubuisse tradunt. In quâ opinionum concertatione, quamnam veram esse Fauorinus ostendet. Deinde incertum etiam est, an Accusatio illa, quam Fauorinus legerat sub Polycratis nomine, illa ipsa fuerit, quam Polycrates, Socratem accusando, conscripserat. Neque enim dubito, quemadmodum plurimi exercendi ingenij causâ, plures Apologias Socratis, nomine ipsius Socratis insignitas, composuerunt, inter quas reliquas nobis tempus fecit Platonis, Xenophontis, Libanij; eadem ratione multos alios complures Accusationes etiam sub Po-*

lycratis nomine diuulgasse: vti pleraque huiusce generis inter Sophistarum ludicra cernimus. Vel etiam Polycrates ipse, post Socratis necem, Orationem illam poliendo, verosimillimum est, multa ex illa prima, quam recitauerat, detraxisse, multa etiam de nouo addidisse; vt ab aliis etiam factum adnotabamus. Neque mirum videri debet in hac secundâ correctione, in quâ multa permutauerat, murorum mentionem intulisse. Admonitus enim ab Isocrate, in eâ Oratione multa peccasse, homo nimium sibi arrogans, ac percontumax, multa in aliam formam, nec dubito, immutauit. Quæ omnia si considerasset Fauorinus, & præterea antiquorum testimonia examinasset, profectò tantùm propter murorum mentionem, Orationem Polycrati non surripuisset. Adde his omnibus, in iudicio Fauorini sæpè sæpiùs ab aliis iudicium, & consilium desiderari. Coniecturæ istæ, quas facis, inquit Vallius, non leues sunt, & quæ certißimè rem, de quâ quærimus, ostendere possunt. Muri tamen Atheniensium à Conone exstructi adhuc stant: alia tibi ad illos diruendos ineunda via est. Mentio enim illa murorum suspectam reddit Orationem Polycratis; Oratio has Epistolas. Plúsne, inquam ego, Fauorino in hoc argumento, quàm Isocrati testi oculato tribuis? Non rectè equidem facis. Tum Gaspar; Muri illi Cononis ratiocinationibus hisce nulli sunt, & dubia omnia remouisti. Sed nos aliquid à te expectamus, dignum hac dissertatione, dignum tuo ingenio. Scimus, tibi nihil optabilius accidere posse, quàm cùm difficultates Chronologicæ, quas nunc facilè dissimulas, examinandæ proponuntur. Quid hîc retices? Quid Historiæ lumen tuo silentio obscuras? Quid, inquam, in obscurißimis

à

à me petis? Quin tu potiùs hoc onus tuæ eruditioni & ingenio par non assumis, sed refugis? Multa ipse pro his Epistolis disserui. Leua me, quæso, hoc labore qui potes. Et Vallius; Adhuc muri Cononis stant. quid ais Leo? Stent per me licet, inquam. O Socraticas, exclamat Vallius, Epistolas, extra muros, tanquam peregrinas, eiectas! At non ita erit, inquam, si possum. Dic Valli; Quanam Olympiade Socrates natus est? quanam item cicutam bibit? Et Vallius; Sub Archonte Lachete obiit, qui Magistratum tenuit anno primo Olympiadis nonagesimæ quintæ; vt narrat Diodorus, & Aristides Sophista, Platonica secunda, καί τοι ἐτελεύτησε μὲν Σωκράτης ἐπὶ Λάχητος ἄρχοντος. *Non hoc, inquam, percontatus sum. Sed quâ Olympiade natus, vel mortuus est? Et Vallius; Laches Archon Athenis fuit anno primo Olympiadis nonagesimæ quintæ. Quid iterum, inquam, Lachetem clamas? Parum hoc negotij confert ad ortum, vel occasum Socratis. Et Vallius; At ex hoc tempus necis Socraticæ certò innotescit. Estne, inquam, aliquid apud Auctores de Olympiade, quâ natus, vel sublatus fertur Socrates? Sunt, ait Vallius, multa, sed dubiæ fidei. Nec enim omnes conueniunt; sed hic vnam, alius aliam Olympiadem assignauit. Vt de ortu, inquam, ita & de interitu discrepant. Sic, ait Vallius. Nihil ergo certi in hac re, inquam, statuere possumus. Et Vallius, Nihil. Quidam enim, inquam, Aphepsione Archonte, Olympiadis scilicet septuagesimæ quartæ anno quarto, Anonymus in Descriptione Olympiadum.* Ὀλυμπιὰς ἑβδομηκοστὴ τετάρτη, ἔτος τέταρτον. Ἀφεψίων. ἐγεννήθη Σωκράτης. *Alij eum natum ferunt Olympiadis septuagesimæ septimæ anno vltimo, sub Phædone, idem*

Auctor in hoc anno, Σωκράτης ἐγεννήθη. *& Suidas in* Σωκράτης. γέγονεν, ὡς τύπῳ εἰπεῖν, Ὀλυμπιάδι ἑβδομηκοστῇ ἑβδόμῃ. *Laërtium in his Archontibus, & annis consignandis se confudisse optimè animaduertit Ioannes Meursius. Verba Laërtij sunt.* ἐγεννήθη δέ, καθά φησιν Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς χρονικοῖς, ἐπὶ Ἀφεψίωνος ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος. *Neque enim debuit Aphepsionem, qui præfuit Olympiadis septuagesimæ quartæ anno quarto, in annum quartum Olympiadis septuagesimæ septimæ, cùm Phædon præfuit, reiicere. Quare censet mutilum esse istum locum, ac voluisse Laërtium vtramque de eius natiuitate sententiam tradere, & excidisse in medio aliqua verba ob concursum eiusdem anni quarti in diuersa Olympiade; & scribendum esse;* ἐγεννήθη δὲ, καθά φησιν Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς χρονικοῖς, ἐπὶ Ἀφεψίωνος ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς τετάρτης Ὀλυμπιάδος, ἢ ὡς ἄλλοι ἐπὶ Φαίδωνος ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος. *Non ergo conuenit inter Auctores, quanam ipse Socrates Olympiade in lucem venit, sed inter eos non vnius, at duodecim annorum differentia est. Dic Valli, vtra ex his sententiis mentitur? quæ rem, vti facta est, dicit. Vallius, Mihi sanè non liquet. quando omnia in dubio sunt. Et ego; Vna ex his vera esse debet, quæ autem ea sit, nondum compertum est: altera falsa, & forsan, quamuis id nesciamus, vtraque falsa. Sed quæramus vlteriùs. Quot annos natus mortuus est? At non eosdem volunt omnes, ait Vallius. Nam Laërtius scribit,* ἐτελεύτησε δὲ τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ἐνενηκοστῆς πέμπτης Ὀλυμπιάδος γεγονὼς ἐτῶν ἑβδομήκοντα, καὶ ταῦτά φησι Δημήτριος ὁ Φαληρεύς. ἔνιοι γὰρ ἑξήκοντα ἐτῶν τελευτῆσαι αὐτὸν φασιν. *Tum*

ego, ita est. Argumentare ergo mecum Valli. Si septuaginta annos natus mortuus est, ergo neque Olympiade septuagesimâ quartâ, neque septimâ in vitam venit. à Lachetis enim principatu, sub quo dixeras Socratem condemnatum, qui fuit annus primus Olympiadis nonagesimæ quintæ, si retrò annos numeres, Socratis natalis dies erit anno secundo Olympiadis octogesimæ sub Philocle. vel si recto ordine à dictis Olympiadibus annos computes, sub Lachete mortuus non est, quod tantoperè affirmabas. à septuagesimæ enim quartæ anno quarto, ad Olympiadis octogesimæ nonæ annum quartum, anni excurrunt sexaginta; annis vno & viginti, antequàm Laches Magistratum iniret. si à septuagesimæ septimæ anno quarto numerum capis, defunctus erit Olympiadis nonagesimæ secundæ anno tertio, sub Glaucippo; decem ante Lachetem annis. Et Vallius; Erit ergo eorum sententia de sexaginta annis vitæ Socraticæ falsa. Ideóque veriorem existimo secundam, de septuagenario Socrate bibente cicutam. Examinemus, inquam, & hanc, rationémque non alia quàm prædicta ratione computemus. si à septuagesimæ quartæ anno quarto annorum ratio deducatur, Socrates iam sub Callia moritur, Olympiadis nonagesimæ secundæ anno primo; duodecim ante Lachetem annis. Et Vallius; Amplectenda igitur est eorum opinio, qui septuagesimæ septimæ anno quarto ortum tradunt; tunc enim, & sub Lachete vitam & septuagenarius finit. Optimè, inquam ego, prouisum, dum Laches saluus sit Vallio, & Olympiadis annum, & ætatis Socratis probè scimus. Per te ergo sic omnia cohærent. Vallius; & secundùm historiæ fidem, & accuratum Demetrij Phalerei testimonium, cui adde, si

vis, Maximum Tyrium Dissert. 39. Σωκράτει γὰρ ἑβδομήκοντα μὲν ἐτῶν χρόνος. καὶ ἐν τούτῳ φιλοσοφία, καὶ ἀρετὴ διηνεκής, &c. *At ulteriùs, inquam, res est examinanda. septuagesimæ Olympiadis anno tertio Empedocles Pythagoreus Athenas ad Socratem proficiscitur, ætate iam grandem, ut verosimile est. Quid dices, Valli? An potuit ætate adultus anno subsequenti nasci? Nec ob aliam causam, ait Vallius, plerique* ἀνιστορησίαν *Platoni obiecerunt, nisi quòd Socratem unà cum Gorgia faciat loquentem, obstante ætatis longinquitate; tunc enim Gorgias obierat. Sed respondet, inquam, Olympiodorus Alexandrinus, non contemnendus Auctor, qui dictum meum confirmat, Comment. in Gorgiam Platonis;* δεύτερον δὲ ἐροῦμεν, ὅτι ἐπὶ τῶν αὐτῶν χρόνων ἦσαν, ὁ μὲν Σωκράτης ἐπὶ τῆς οζ'. Ὀλυμπιάδος τῷ ιγ'. *lego* τῷ γ'. ἔτει. ὁ δὲ Ἐμπεδοκλῆς ὁ Πυθαγόρειος ὁ διδάσκαλος Γοργίου ἐφοίτησε παρ' αὐτῷ. *Audi cætera. Cùm Gorgias Commentarium de Natura, Olympiade octogesima quarta, conscribebat, Socrates ex ephebis excesserat, & Virorum albo adscriptus, plus annis viginti octo natus erat; ergo non potuit anno quarto Olympiadis septuagesimæ septimæ in lucem venire, sed ad minus anno primo. Non potuit itaque septuagenarius sub Lachete mori. Unde id habeas, velim, inquit Vallius. Ex eodem, inquam, Olympiodoro;* ἀμέλει καὶ γράφει ὁ Γοργίας περὶ φύσεως σύγγραμμα οὐκ ἄκομψον τῇ πδ'. Ὀλυμπιάδι, ὥστε εἰκοσιοκτὼ ἔτεσιν, ἢ ὀλίγῳ πλείοσιν εἶναι πρότερον τὸν Σωκράτην. *Recens, ait Vallius, hic Auctor est. sed diligens, inquam ego, & qui prudentiâ rerum magnarum, & eruditione magis, quàm dicendi arte nititur. &, ut fidem suam liberet, testimonio comprobat Platonis.* ἄλλως τέ φησιν ἐν τῷ Θεαιτήτῳ ὁ Πλάτων. ὅτι

νέος ὢν κομιδῆ ἐνέτυχεν Παρμενίδῃ ὄντι πάνυ πρεσβύτῃ. καὶ εὗρεν βαθύτατον ἄνδρα. ἔστι δὲ ὁ Παρμενίδης διδάσκαλος ἐγένετο Ἐμπεδοκλέους τοῦ διδασκάλου Γοργίου, καὶ ὁ Γοργίας δὲ πρεσβύτης ὤν. *Et Vallius; Ante Lachetem ergo moritur, cùm muri Athenienses adhuc operâ Cononis non starent. ille autem septuagesimum annum agens, fatis concessit. Sed si prouectiorem, inquam ego, ætatem Socratis comperero, Valli, quid fiet? Dabo manus, Vallius subdit, falsúmque fuisse Fauorinum liberè pronunciabo. Sit ita, inquam. Et vt rem extricem, nolo hîc sententiam Alexandrini Chronici recensere, quod Socratem ait vitâ functum anno primo Olympiadis centesimæ quartæ, annos natum nonaginta, quando non iam muri illi exstructi, sed penè destructi, vt ita dicam, per tantum annorum spatium conspici poterant. Nec placet adeò producta Socratis ætas. Quamuis Auctor ille non temerè, & vt in buccam venerat, res redigebat in fastos, sed aliorum, eorúmque fide dignorum, testimoniis nisus. Quidquid tamen sit, probabilius existimo eum octogesimum annum agentem toxico peremptum fuisse. Pro me facit Suidas, siue quisquis sit Auctor illius Vitæ apud Suidam.* καὶ ἐπὶ μὲν τῶν Πελοποννησιακῶν γέγονεν, ὡς τύπῳ εἰπεῖν, Ὀλυμπιάδι οζ'. *En, mi Valli, firmam tuam Olympiadem,* ἐβίω δὲ ἔτη π'. *En productos annos Socratis etiam post murorum illam exædificationem. Et Vallius; Non tantum tribuo Suidæ. At pannis, inquam ego, ex quibus consutus ille liber est, cùm sint admodum pretiosi, & rari, multùm tribuendum est. Sed habeo etiam Auctorem huius rei, qui Socratem, illiúsque mores visu, & continua multorum annorum consuetudine, & domesticâ familiaritate perquàm*

meditatè tenebat. qui eum vltra ſeptuageſimum annum vitam duxiſſe, non ambiguis, ſed clariſſimis verbis profitetur. Et Vallius; An Iouem teſtem nobis dabis? Iouem, inquam, huius rei, Ædepol, Iouem teſtem excitabo. An non placet? Et Vallius; In re ſeria fabulas nobis meras nectis, mi Leo. An tibi, inquam, veritas fabula eſt, Valli? Iouem teſtem ſubornatum à te non rideam? Sed rideas, inquam, per me, dummodò riſus in me non conuertatur. Conuertatur, *ait, in Iouem hunc tuum teſtem, quando ita placet. At non conuertes, inquam. Annon Iupiter tibi Philoſophorum eſt Plato? Iupiter, ait Vallius, & Ioue illo, hominúmque, Deûmque Patre ſpectabilior, quòd non rebus fictitiis, & ludicris Poëtarum nugis, ſed vera, ſolidáque virtute, ſapientiáque magnus; & non hominum, ſed eorum tantùm, qui verè homines ſunt, Philoſophorum dumtaxat, & prudentium, Pater fuit. Is, inquam, Iupiter id de Socrate aſſerit in Apologia. Et Vallius; Ne illudas, ait, Vir optime exiſtimationi tuæ. Ibi enim Plato ſupra ſexaginta annos, non ſeptuaginta fuiſſe tradit; & ſi verborum recordor, ita Nicolaus Serranus interpretatus eſt.* Sic enim omninò res ſe haber, nunc ego primùm in iudicium prodeo, annos plus ſexaginta natus; vt in hoc quidem forenſi genere dicendi planè ſim peregrinus. *Et ſubſcripſit Henricus Stephanus. Sat eſt, inquam, mi Valli. Ne Typographorum errata in eos Viros coniicias, quibus, quid inter* ἑβδομήκοντα, & ἑξήκοντα *interſit, multùm innotuerat. Neque enim adduci poſſum vt credam, eos ſic interpretatos fuiſſe, cùm exempla omnia, & typis edita, & Manuſcripta, quæ videre mihi licuit, licuit autem multa, con-*

stantissimè omnia habeant ἑβδομήκοντα. An recordaris, mi Gaspar, verborum. Neque enim mihi omnia, præter illud vnum ἑβδομήκοντα, suppetunt. Et Gaspar, Verba ista sunt; νῦν ἐγὼ πρῶτον ἐπὶ δικαστήριον ἀναβέβηκα ἔτη γεγονὼς πλείω ἑβδομήκοντα. ἀτεχνῶς οὖν ξένως ἔχω τῆς ἐνθάδε λέξεως. Verba clarissima, tanta iniuria nescio an Typographorum peruersa: eóque præcipuè cùm Ficinus noster ante Serranum, septuaginta, vti par erat, conuerterit. Et Victorellus; Iure merito itaque plerique hac nostra tempestate Viri ingenui, & docti ad Ficini interpretationem, tanquam fideliorem, ad Serrani tanquam elegantiorem confugiunt. Tum ego; Habemus ergo ex Platone Socratem non septuagenarium, sed septuagenario maiorem, causam dixisse. Quot porrò annos numerum hunc superarit, cùm ipse pro comperto fortè non haberet, vt sæpè fieri solet, non apposuit. Puto enim nec ipsum Socratem Virum ex infima plebe, primis artibus, illisque aspernandis, non nimis notum annorum suorum numerum exactè tenuisse. Hinc ne Plato mentiri videretur, certum pro certo, incertum pro incerto posuit. iam enim tum Socrates septuagesimum annum exegerat, & ampliùs, at quemnam ageret, vti incompertum reliquit. Quod cùm postea ex aliis Auctoribus Suidas, qui diligentiores in ea re perquirenda, plus etiam viderunt, exscripsit, annum scilicet octogesimum. & discrimen sanè magnum inter hos numeros ο΄. & π΄. omnem erroris exscriptorum suspicionem tollit. Tum Meronus; Crederem vtique in his, quæ de Socrate scripsit, Platoni, nisi is ab aliis falsitatis conuictus, pluribus etiam χρονικοῖς ἁμαρτήμασι scripta sua polluisset. qui cùm non semel de mendacio suspectus fuerit, non video, quo-

nam firmo argumento in hoc illi fidem præſtare debeamus. Nouum nobis diſcurrendi campum aperis, inquam, Meroni, qui neutiquam modò percurrendus eſt. Similium autem Platonem ab Athenæo, Ariſtide, & aliis inſimulatum, notum eſt. Athenæo Viri docti & graues ſatis ſupérque reſponderunt: Ariſtidi, quod ipſe ſciam, nemo: ſed reſpondebunt fortaſſe. Ipſe nunc pro eo defendendo non pluribus concertabo; iam enim adueſperaſcit, &, vt vides, dies moritur. Id tamen ad ætatem octogenariam Socratis refellendam nihil confert. Socrates enim, qui loquitur, & ad Iudices ſermonem conuertit, nunquam ſimili mendacio, ſi conuinci à Iudicibus poſſet, vniuerſam ſuæ vitæ Apologiam, eiúſque fidem ſuſpectam reddidiſſet. Surrexit ad hæc Victorellus; Moroſi ſanè ingenij eſſet, Auctores rebus geſtis æquales reiiciendo, in alios poſteriores, qui res non viderunt, ſed leuiſſimis coniecturis veritatem contra omnem antiquitatem exculpere tentant, animum aduertere. Ego in rebus Socratis dilucidandis nullum alium teſtem exopto fideliorem ipſo Platone, vel Xenophonte, quibus aliorum imprudenter dicta, ſapienter iugulantur. Ita eſt, inquam, at reducam me ad noſtrum larem familiarem. adhuc excipito, Valli. Anne memoria tenes, quo ætatis anno, & quâ Olympiade fato defunctus eſt egregius ille Philoſophiæ Myſta, atque Interpres Ariſtoteles? Et Vallius; ſeptuaginta annos natus exceſſit, ſi nobis non imponit Suidas. οἱ δέ φασι νόσῳ αὐτὸν τελευτῆσαι βιώσαντα ἔτη ό. *Et Gaſpar; Cautè locutus eſt Vallius, ſi non imponit Suidas. Namque eum imponere, ſiue etiam alium, ex quo ſua ipſe habuit, communi aliorum ſententiâ comprobatur, qui vltra tertium & ſexageſimum vitam illius*

non protrahunt, vt Ammonius, siue quis sit Auctor illius Vitæ, ante Commentaria Ammonij in illius Prædicamenta. Et Laërtius idem probat, improbátque Eumoli dictum, à quo fortè Suidas sua hausit. ἐνταῦθα δὴ πιὼν ἀκόνιτον ἐτελεύτησεν, ὥς φησιν Εὔμηλος ἐν πέμπτῃ τῶν ἱστοριῶν βιοὺς ἔτη ἑβδομήκοντα. ὁ δ' αὐτός φησιν αὐτὸν καὶ Πλάτωνι τριακοντούτην συστῆναι διαπίστων. βεβίωκε γὰρ τρία μὲν πρὸς τοῖς ἑξήκοντα. *Et, post pauca, id ipsum refert ex Apollodori Chronicis. Et ante alios Dionysius Halicarnasseus ad Ammæum epistola, qui perquisitis antiquorum monumentis, hoc vitæ spacium, tanquam indubitatum, & certum Aristoteli consignauit. At quanam iste Olympiade, inquam ego, obiit? Tenésne, mi Valli? Et Gaspar; Nimis ista aliena pro muris Atheniensium ante mortem Socratis asserendis. Eò, inquam, libentiùs Vallius respondebit. Et Vallius; Anne omnia etiam annorum momenta minutissima, & tempus, ac terminum vitæ cuiuscumque ex memoria recitabo? Tum ego; Respondendum est tamen. Dicat, ait Vallius, qui possidet. An tibi succurrit Gaspar? Succurrit, Gaspar ait, & morem geram. Halicarnasseus sub Archonte Cephisodoro Chalcidem migrasse, ibique ex morbo decessisse refert. sed ex Apollodoro in Chronicis, anno tertio centesimæ & decimæ tertiæ Olympiadis sub Philocle, eodem, quo Demosthenes, anno in Calabria Insula occubuit; Laërtius.* εἶτα ἀπᾶραι εἰς Χαλκίδα τῷ τρίτῳ ἔτει τῆς τετάρτης καὶ δεκάτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος, καὶ τελευτῆσαι ἐτῶν τριῶν που καὶ ἑξήκοντα νόσῳ, ὅτε καὶ Δημοσθένην καταστρέψαι ἐν Καλαβρείᾳ ἐπὶ Φιλοκλέους. *Tunc cùm cicutam bibere, subdit Vallius, elegit, cuius succo quadragesimo tertio anno So-*

crates extinctus fuerat; vt adnotarat Franciſcus Patritius lib. 1. Diſcuſſionum Peripatetic. Et ego, Ergo ſub Archonte Lachete non obiit Socrates, Valli, ſed multò poſt muros eos exſtructos, de quibus tantoperè perturbaris. Quî id fieri poteſt, infit Vallius. Facillimè, inquam; Ariſtoteles veneno ſibi mortem conſciuit, ſiue etiam ægritudine oppetiit, vt Apollodorus vult, ſub Philocle, Olympiadis centeſimæ tertiæ & decimæ anno tertio; ſiue, vt Halicarnaſſeus, ſub Cephiſodoro, anno vno minùs. ab his ſi præteritos annos recenſens ad quadrageſimum tertium perueneris, quo extinctus per Patritium traditur Socrates, Socratem poſt hos muros venenum bibiſſe comperies, annos plus minus triginta, ſub Archonte Chione, aut Timocrate; quo quid dici poteſt abſurdius? Et Gaſpar; Ita Patricij iudicia Lectorem vt plurimùm fallunt, cuius multa lectio, variáque eruditio ne minimum quidem conſilium direxit, ne, fœdiſſimè ac ſæpiſſimè lapſus, alios etiam in errores protraheret. Quare ſemper mihi illius lectio ſuſpecta venit. Tum ego; Quid hîc dicis, Valli? Falſum, ait, Patricium, cuius locum obeliſco notabo, ne in poſterum aliis fraudi ſit. Sic facito, inquam. At mihi ſcrupulum, & dubitationem quandam iniecit neſcio quid, quod ſi mihi extrices, Oedipus tu, ego Dauus fuero. Præceptores Ariſtotelis vellem mihi vt nominatim numerares. Et libenter, ait Vallius. Proxenus Atarnenſis in Patria. Athenis Socrates, Plato. O fortunatum, inquam, Ariſtotelem ſcientia, exempliſque à tanto Præceptore auctum! Et Gaſpar infert; Verùm hanc de Socrate Ariſtotelis Præceptore opinionem titubare, perdoctus ſum probè. Nullus enim ex antiquioribus, quod ego ſciam, id aſſerit: & ex

recentioribus multi, Halicarnaſſeum, Apollodorum, Laërtium ſecuti, id improbarunt, & rationibus etiam, iiſque non leuibus confirmarunt; inter eos præcipui ſunt Leonardus Aretinus epiſt. lib. 6. Octauianus Ferrarius, extremo libro de ſermonibus exotericis; Patritius ibidem; & Ioannes Munnetius, Notis in Vitam Ariſtotelis, qui in eo magnam eſſe ἀνιστορησίαν tradit. Etenim Ariſtoteles dicitur natus primo anno nonageſimæ nonæ Olympiadis, Archonte Diotrephe: vt minimum interiecti ſunt quindecim anni inter mortem Socratis, & ortum Ariſtotelis. Quòd ſi tertio anno Olympiadis nonageſimæ quintæ mortuus eſt Socrates, vt in Chronicis Euſebij proditum; erit quoque erratum in Chronologia, ſed minùs duobus annis. A. Gellius lib. 17. cap. 21. poſt Vrbem recuperatam à Gallis anno ſeptimo natum Ariſtotelem litteris ait mandatum fuiſſe. ſed quoniam, vt ait Plutarchus, difficile eſt inuenire annum captæ Vrbis, difficile quoque erit annum recuperatæ Vrbis reperire. Septem quidem menſibus poſtquam capta à Gallis, recuperata fuit opera M. Furij Camilli. ſed ſequenti deinceps anno. etenim capta fuit menſe Quinctili, recuperata Februario. Si igitur, vt Verrius Flaccus, & Gellius in Annalibus, atque Caſſius Hemina ſenſerunt, capta fuit anno CCCLXIII. recuperata fuiſſet anno CCCLXIV. ita natus fuiſſet Ariſtoteles ſecundo anno Olympiadis nonageſimæ nonæ. Quòd ſi, vt Liuius prodidit, anno CCCLXV. capta fuit, & recuperata anno CCCLXVI. ſuſceptus fuiſſet in hanc lucem Ariſtoteles anno quarto

Olympiadis nonageſimæ nonæ. Sed quoniam ſententia Varronis, & Plinij probabilior cæteris videtur, ad quam etiam magis accedit Halicarnaſſei opinio, capta fuit anno CCCLXIV. recuperata anno CCCLXV. ortus fuiſſet Ariſtoteles anno tertio Olympiadis nonageſimæ nonæ. Quocumque autem anno nonageſimæ nonæ Olympiadis natus dicatur, magno poſt Socratem mortuum interuallo ortus fuit Ariſtoteles. *Meam tamen ſententiam, reſpondit Vallius, Auctor illius vitæ, quiſquis ille fuerit, antiquus ſanè & prudens defendit.* ἑπτακαίδεκα γὰρ ἐτῶν γενόμενος, καὶ τῆς Πυθίας κελευούσης αὐτῷ φιλοσοφεῖν, στέλλεται ἐν Ἀθήναις ἔνθα φοιτᾷ Σωκράτει, καὶ συνέσι τούτῳ ἔτη τρία. τελευτήσαντος δὲ τοῦ Σωκράτους φοιτᾷ Πλάτωνι, καὶ τούτῳ συνέσιν ἔτη εἴκοσιν. *Conſentit Olympiodorus Praxi 42. in Gorgiam Platonis; qui inter alios à Socrate rectè inſtitutos, Ariſtotelem etiam recenſet. Et, ne nobis deſint etiam recentiores, Beſſario lib. 1. aduerſus Calumniatorem Platonis, cap. 3. ait*, Triennio Socratem admodum adoleſcens audiuerat, antequàm ſe ad Platonis Gymnaſium conferret. *Non ergo abſurdum poſt tantorum Virorum auctoritatem videtur.* εὖγε τῆς εὐστοχίας, *Valli, inquam. Socrates Ariſtotelem audiuit tres annos. Ita eſt, ſubdit Vallius, quamuis noſter Gaſpar aliorum dictis hoc refellere niſus ſit. Eſt itaque, inquam, diſciplinæ Socraticæ alumnus Ariſtoteles noſter, quando ab eo informatus eſt. Eſt, ait Vallius, nec dubito. Saltem, inquam ego, non contemnendorum teſtium auctoritate, qua probabilis ad minus erit iſta opinio. Eſt, inſit Vallius, omninò. Et Gaſpar; Non probo dictum. Caue ſis tibi, Valli, ne capia-*

ris. Est, ait Vallius, omninò; Leo, hærésne? quid nutas? Tum ego; Sanè, ipse infero, non nuto, sed nutant omninò & Laches ille tuus, sub quo Socrates obiit, & muri illi Atheniensium tantoperè per te propugnati, qui modò tua confessione labascunt omninò. & hac ratione labantes, accitis etiam Archimedeis machinis sustinere non poteris. Et Gaspar; Ecquid iam lucri capis, Valli? Annon reconditæ eruditioni tuæ hoc debes; Et Vallius; Ne verbis obruar, quæso. Quis Lachetem? quis muros hosce concutit? Tua verba, inquam. Et ille; Quomodo? Hoc, inquam, quod dicebas, Aristotelem, septem & decem annos natum, Socratem audisse. Et ne diutiùs morer, machinas hasce mecum sustine, quibus muros illos in planum deturbemus. Aristoteles sub Cephisodoro, siue etiam Philocle, occubuit; numera ab his annos sexaginta tres, quos ipse omnium sententia vixisse perhibetur, nónne ad Dexitheum, si à Cephisodoro, vel ad Diotrephem, si à Philocle; & si septuaginta annos vitæ illius fuisse contendis; nónne ad Philoclem alterum, vel Nicotelem perueniendum est? at hi omnes, post muros illos exædificatos, pluribus annis Athenis præfuerunt. Ergo non potuit Socrates, qui Aristotelem informauit, ante muros illos vitam finisse. Tum Vallius; ἀμαθέστερόν πως εἰπὲ, καὶ σαφέστερον. *At dicam, inquam, si potero. Aristoteles natus est sub Philocle, vel Nicotele, si ad septuagesimum annum vitam illius protrahes: sub Dexitheo, vel Diotrephe, si ad sexaginta tres. At hi, post muros Athenienses, ad Reipublicæ gubernacula accesserunt. quibus si septemdecim ætatis Aristotelicæ coniungas, quibus Socrates adhuc erat superstes, iam Socrates post Cononis illos muros annos viginti quinque,*

vel ad minus decem & octo, si diuturniora spacia vitæ Aristotelis concedamus, adhuc erat in viuis, cùm Aristotelem imbueret. At plus satis intelligo, ait Vallius. Tum ego, concludam itaque, si per vos licet, muros istos Athenienses ante Socratis obitum à Conone fuisse exædificatos, & Fauorini iudicium de Oratione Polycratis non esse tanti, vt Epistolas hasce Socratis faciat non esse Socratis. Anne licet, Valli? Licet per me, ait Vallius, Quando muri à Fauorino erecti primo quidem aspectu stabiles, nunc verò adeò infirmi sunt, vt rationibus his tuis non minentur ruinam, sed ruant; &, quod peius est, cum fundamento ipso pereant. Fateor me, antequàm hæc à te examinata fuissent, eos sartos tectos existimasse, & mortem ipsam Socratis, quæ modò ita dubia erat, sub Lachete sine controuersia contigisse. Sed iam tandem, inquam, Valli, id idem de tuo etiam proba, vt vnà simul ad has Epistolas suis Auctoribus reddendas laborasse videamur. Age porrò quid cogitas? quid in pectore volutas? Miror Platonem, ait Vallius, qui Socratis omnia, etiam minutissima, nulliúsque considerationis prosecutus est, & mortem illius accuratissimo eloquentiæ penicillo depinxit, nullam de mortis tempore mentionem intulisse. Mirum equidem est, inquam ego. At súntne omnia Platonis à te attentiùs expensa? Expendi, ait; sed quid in dubiis statues? Dubia, inquam. ideóque non fuisse sub Lachete Socratem extinctum, cùm hoc etiam per te in dubio sit. Quòd si Platonis verbis probauero, te id etiam de tuo probasse, quando Plato tuus est, affirmabo. Quin probas, ait Vallius. Probabo, inquam, dummodò tua propugnatio Platoni non defuerit. Purgatio, dicit Vallius, peccati est, quod

à Platone, illiúſque ſcriptis longè abfuit. Cuius tamen tu, inquam, Valli, defenſionem non ſuſciperes. Quidni, ait? Multa, inquam, plurimorum ſententia aliter narrauit, ac fuere: ideóque mendacij non vno in loco arguitur. O homines, ait ille, ſtuppeos, qui Dialogorum moris ignari, rem, vti eſt, meram videre non ſuſtinent, veriti, ne ab illius ſplendore accenſi, in flammas effuſi euaneſcant. Non erit, inquam, impunè. Et non video, quanam ratione ſpicula, quæ in eos iam meditaris pro defenſione Platonis, retorquere poterunt. Viuo namque te Platoni & Xenophonti, quem vnicè veneraris, patrocinium non defuturum ſæpè ſæpiùs à Gaſpare audiui. Defende ergo, & nutantem protege. Pugna illa apud Lechæum contra Corinthios celebris ſanè apud Hiſtoricos, habéſne, Valli, ſub quo Archonte pugnata ſit? Habeo, reſpondit, nec fallor. Eubulides tunc præerat. Rectè dictum, inquam, ſub eo enim cladem illam à Lacedæmoniis Athenienſium ciuitas accepit. & poſt alias turbas, poſt annos non multos pax inter Athenienſes & Lacedæmonios, alióſque Græcos facta eſt. An memineris Ducis? Recordor, ait, Duce Antalcida ſub Archonte Theodoto. Rupto deinceps fœdere, Lacedæmonij contra Mantinenſes exercitu ducto ſub Dexitheo, Mantinenſes in pagos rurſus, ex quibus Mantineam commigrarunt, pedem referre coëgerunt. Hæc poſt mortem Socratis contigerunt, inquam. Si ſub Lachete Socratem, ait Vallius, necatum affirmemus, poſt Socratis obitum acciderunt; ſed video iam hoc à te pluribus rationibus, vti merum commentum, exploſum. Et explodetur, inquam, vlteriùs. Numerantur ſcilicet à Lachete ad Eubulidem, ſub quo pugna in Lechæo commiſſa eſt, ſeptem

Archontes; ab Eubulide ad Theodotum, ſub quo fœdus initum, octo; à Theodoto ad Dexitheum, ſub quo Mantinenſes diſſipati ſunt à Lacedæmoniis, tres: à primo Lachete ergo ad hunc vltimum erunt Archontes, aut ſi mauis, anni ſexdecim. Sed dicas, Valli, in Athenienſium, in Lechæo extinctorum, funere Orationem quis habuit? etiamſi velles obliuiſci, non poteris. Non potero ſanè, infert Vallius, ni mei ipſius oblitus, alterum à me ipſe Vallium conſtituam. Heri enim in ipſo Platone legi in Menexeno, ibi enim Aſpaſiæ Mileſiæ Orationem funebrem recitat Socrates. Ergo Socrates ad illa tempora viuebat; quî enim potuit Orationem habere mortuus? Quomodo ergo ſub Lachete mortuus, qui cladem illam poſt ſeptem annos conſpexit, & in ea fato functos elegantiſſima Oratione proſecutus eſt? Non video, reſpondit Vallius. Mirórque me, cùm ſæpiſſimè Dialogum illum percurrerim, nunquam ad hoc de morte Socratis animum applicaſſe. Ridendi ergo, inquam, ſunt, qui necem Socratis ſub Lachete tradunt. ſed cùm in eadem Oratione pacis etiam meminerit, longiùs aberit à Lachete. Quòd ſi in ſympoſio, vbi præſens Socrates diſputat, ab Ariſtophane, ſub Arcadum nomine, Mantinenſium excidium vti præteritum commemoratur, multò à Lachete poſterior annos ad minus ſexdecim mors Socratis contigit. Verba Ariſtophanis ſunt; νυνὶ δὲ διὰ τὴν ἀδικίαν διῳκίσθημεν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, καθάπερ Ἀρκάδες ὑπὸ Λακεδαιμονίων. *Nec aliud in mente fuiſſe Platoni, ne longiùs oberrem, habeo ex Ariſtide, Orat. Platonica ſecunda.* ὑπόκειται μὲν γὰρ αὐτοῦ δήπου Σωκράτης τὸν ἐπιτάφιον διεξιών. μέμνηται δὲ τῶν ἐν Κορίνθῳ τετελευτηκότων καὶ τῶν ἐν Λεχαίῳ, καὶ τῆς εἰρήνης τῆς ἐπὶ

Ἀνταλ-

Ἀνταλκίδου κληθείσης. καίτοι ἐτελεύτησε μὲν Σωκράτης ἐπὶ Λάχητος ἄρχοντος. τῆς δὲ ἐν Κορίνθῳ μάχης, καὶ τῆς ἐν Λεχαίῳ μέσος ἄρχων Εὐβουλίδης, ἀπὸ δὲ Λάχητος εἰς Εὐβουλίδην ἕβδομος ἄρχων Εὐβουλίδης αὐτός. ἀπὸ δὲ Εὐβουλίδου πάλιν ἄρχων ὄγδοος Θεόδοτος, ἐφ' οὗ ἡ εἰρήνη ἐγένετο. ὁμοῦ τε γὰρ ἑξκαίδεκα οἱ σύμπαντες ἄρχοντες εἰς τὴν εἰρήνην ἀπὸ Λάχητος ἄρχοντος. *& in fine* Orationis *tertiæ Platonicæ ad* Capitonem. μνημονεύσας μὲν γὰρ ὧν ἐν τῷ λόγῳ μέμνηται λέγων, ὡς ἐπὶ Ἀρκάδων διῳκίσθησαν ἐπὶ τοῦ Δεῖνος ἄρχοντος. *Tum Leonida; At hoc non probat Aristides, licèt asserat Plato. Et Vallius; Nihil refert; Aristides enim multa, studio contentionis, in Platonem oblatrauit. Nolo testem in hac re Platone digniorem. Dubium potuit esse, an dixerit Plato, vel an eius verba ea ratione intelligenda sint. At cùm ille dixerit, & Aristides asserat eum ita sensisse, vltrà non hæreo. Amplector, exosculórque eorum sententiam, qui muris hisce Cononis recentiorem Socratem fecêre. Et Leonida, Aristidis sanè auctoritas contemnenda non est. Et Vallius; At non anteferenda Platoni. Tum Leonida; Cum Platone ille disputabat, non credo eum nisi probatissima illi opposuisse, ne simplici dicti negatione à Platone reiiceretur. Et Virum hunc optimum sanè, & eruditum omnia Historiæ momenta perpendisse existimo, antequàm hoc tam audacter Platoni obiiceret, & falsitatis insimularet. Nulla diligentia, subdit Vallius, etiam exquisita in homine recentiore, & qui tantum à Socratis morte aberat, oculis ipsis, ac Platonis memoriæ præferri debet. Ait Plato, negat Aristides. Plato vidit, audiit, omnia diligentissimè perscrutatus est ab illis ipsis qui præsentes audiuerant, & viderant: Aristides post tot sæcula cæcus omninò*

inter densissimas tenebras lumen quærit. Cui potiùs fides habenda est? Nisi dixisset Plato, quærerem, & verosimiliora dicenti crederem. Plato dicit, & hæres, mi Leonida, ab alio, quàm à Sole lumen exposcis, non consequeris equidem. Ita est. non potuit aliter esse. Socrates sub Lachete mortuus non est, sed diù, multúmque pòst vitam egit. Tum Gaspar; Quasnam dicti sui rationes contra Platonem Aristides affert? Et Vallius plus æquo commotior; Nullæ, ait, contra dictum Platonis rationes esse possunt, quæ dignæ consideratione sint. At videamus, inquit Gaspar, si quæ sunt. Cur nobis non recitas Leo? An potero, inquam, quod non est, recitare? Nullas, quod ipse sciam, ipse attulit, præter sui auctoritatem: & vt magis pateat, en verba; Σωκράτης δὲ ἐτεθνήκει πρὸ τόσου, ἢ τόσου. *& Oratione 2.* Εἰ δέ τις τῇ Πλάτωνος δόξῃ περὶ πάντων ἰσχυρίζοιτο, καὶ φάσκει μὲν τὸν Σωκράτη, ὅτε ὁ τῶν ἐν Κορίνθῳ καὶ Λεχαίῳ τετελευτηκότων ἐλέγετο ἐπιτάφιος, πίνειν δ' ἐν Ἀγάθωνος μετὰ τὴν εἰρήνην, λύζειν δ' Ἀριστοφάνην ἐν τῷ συμποσίῳ, κωμάζειν δὲ Ἀλκιβιάδην, μειράκια δ' εἶναι τηνικαῦτα Ἀγάθωνα, καὶ Ἀλκιβιάδην, ὁμοῦ δ' εἶναι πάντα χρήματα, πῶς οὐχὶ ληρήσει μὴ προσεξετάζων, εἴ τι καὶ κατ' ἐξουσίαν ἀνὴρ λέγοι; ἀλλ' ὥσπερ παῖς ἔμβραχυ τοῦτ' ἀρκεῖν ὑπολαμβάνων, ὅτι φαίη Πλάτων. *Non debemus credere Platoni. Aliter, atque res fuerunt, narrat. inuertit omnia. Vnde id habes Aristides? saltem dicti tui, si quem habuisti, Auctorem tacere non oportuit. Simplex dictum tuum tanti non est, vt auctoritatem Platonis eleuet, vt fidem illius imminuat. Sic est, subdit Vallius. An sanus ipse haberer, si recentissimus Cæsaris Commentaria, vti meras nugas, & somnia condemnarem, nec aliam præter meum*

dictum condemnationis causam afferrem? O mi Valli, inquam, quando ita sibi complaceat Aristides, & fastu plusquam Trasonico in Platonem feratur, promámne illius in paucißimis verbis, quæ suprà laudaui, miram ac indecoram Viri oscitantiam? Prome sodes, ait Vallius, saltem vt illius quanti in Platonem fieri debeat auctoritas, inspiciamus. Dicit, inquam, ab Archonte Lachete ad Eubulidem, septem Archontes cum Eubulide ipso fuisse; ab Eubulide ad Theodotum octo: deinceps numerum in vnum colligens, ait, omnes à Lachete ad Theodotum sexdecim fuisse; cùm nonnisi quatuordecim tantùm sint cum ipso Lachete, & Theodoto; ô hominem frugi! septem illi & octo, hoc est septem alij sexdecim sunt. An nos ergo pueri erimus, qui Platoni credimus dicenti, Aristidi non item? Beasti me, mi Leo, inquit Vallius. sed vndenam in hominem prudentem, & in omnibus quàm maximè consideratum, error iste puerilis manare potuit? Licèt id, inquam, probè sciam, nolo id modò enunciare; differóque in opportunius tempus. Et Vallius, esto. si quid præterea ex ipso Platone adnotasti, ne nobis inuideas, optime Leo. Et libenter id faciam, inquam. Non tantùm enim ex Platone Lachetem extrudimus, sed muros etiam ipsos Socrate viuente exstructos fuisse comperimus. Non dubitamus, ait Vallius; cùm suprà laudati Archontes, sub quibus viuebat Socrates, post muros illos erectos Athenis præfuerint. Non ob id, inquam, tantùm, sed quòd, controuersiam omnem vt tolleret, ipse Socrates murorum illorum meminerit. Ardua, subdit Vallius, nobis nuncias. Vera tamen, inquam; Socrates in eadem Oratione funebri inter alia dicit, ἐλθόντες δὲ εἰς ταῦτα, ἐξ ὧν καὶ τὸ περιτει-

ἐθν κατεπολεμήθημεν, σὺν Θεῷ ἄμεινον, ἢ τότε ἐθέμεθα τὸν πόλεμον. καὶ γὰρ ναῦς, καὶ τείχη ἔχοντες, καὶ τὰς ἡμετέρας αὐτῶν ἀποικίας ἀπηλλάγημεν τοῦ πολέμου. *Socratis confeſſione, vt vides Valli, muris Athenæ clauduntur, non illis à Themiſtocle miro dolo exædificatis, quos Lyſander diſiecerat Athenis captis, cùm triginta Tyrannis rerum publicarum imperium commiſiſſet; ergo illis à Conone factis, & qui tempore pugnæ in Lechæo adhuc ſtabant, viuo Socrate, aſpiciente, & propugnante. Quid hîc diceret Fauorinus? Stabántne, Valli, muri Athenienſium ante mortem Socratis? Quis dubitat, ait. Fauorinus, inquam. Sed ſua ſibi ipſe habeat Fauorinus, ait Vallius. Nobis certiſſimè conſtat, Polycratem potuiſſe ſcribere, & ſcripſiſſe quoque Accuſationem Socratis, in qua Cononeorum murorum mentio facta eſſet, cùm eo tempore ſtarent; quidquid in contrarium afferat Fauorinus, ac proinde has Epiſtolas, in quibus mentio Polycraticæ Orationis habetur, verè germanas eſſe Auctorum, quibus inſcribuntur. Abſurdum equidem videtur, inquit Gaſpar, pro his Epiſtolis Socrati aſſerendis, diutiùs verba terere: adeò certa de illarum Auctore protulit Allatius. Et, ſi quis in tam claro Sole cæcutire vult, cæcutiat per me ſanè. Si hæ in dubium reuocentur, nullum apud nos extare ſcriptum fateri licet, quod illius Auctoris ſit, quem profitetur. Tum ego; O quantus eſt in hiſce ſapor antiquitatis inſitus! quem qui ſemel deguſtauerit, ſentiet omninò has ab eo non abhorrere, ſed quàm proximè accedere; immò non alium ab eo eſſe. Illum in aliis confictis epiſtolis manifeſtè diſcerni, quis te meliùs, Gaſpar, iudicare valeat? Sed de illis ſunt à me plura alio loco diſputata. At, quænam illa ſunt, ait Val-*

lius; O hominem, inquam, indefessum, qui nec laboribus, nec concertationibus vnquam frangeris; sed post decursum stadium nouus Athleta firmior, ac melior ad illud iterùm percurrendum accingeris. Sat de his Epistolis disseruimus. Sat prata biberunt. Et Meronus; At nos non sat bibimus, qui tuam orationem plusquàm anteà sitimus. Namque semper nobis, quò longiùs res prosequeris, sitim validiorem accendis. Te, mi Meroni, inquam, & vos, qui vnà me dicentem sustinuistis, Viri doctissimi, tempus in hac concertatione deperditum humaniter feratis, exoro; eóque faciliùs feratis, quò à difficilioribus, vel Philosophicis, vel diuinis studiis, in quibus toti estis, animum relaxastis, ea libentiùs post morulam repetituri. Iam & Leonida sanè noster diuino afflatus spiritu, aliquid nobis ex regiis Dauidis Canticis parturit. ô fœtus illos sanctissimos, & iucundissimos! Plura conantes dicere frequens hominum cœtus (namque fores post gratissimum aduentum Gasparis patuerant) conueniens auocauit. Et hic fuit finis nostræ concertationis, mi Bernardine, quam volebam nescius ne esses. Vale, & me, vt facis, ama.

LEONIS ALLATII
IN SOCRATIS, ET ALIORVM SOCRATICORVM EPISTOLAS
NOTAE.

Epistola I.

ΣΩΚΡΑΤΟΥΣ.] Ad quemnam ſcripta ſit hæc Epiſtola, in dubium verti poſſet. Plures enim, eóſque celebres, atque inſignes, & auctoritate, & facultatibus Viros impensè expetiiſſe vt ad ſeſe iret Socrates, ſollicitaſſéque eum muneribus oblatis, quibus ipſe non attendit, habeo ex Laërtio in eius vita. ὑπερεφρόνησε δὲ καὶ Ἀρχελάου τοῦ Μακεδόνος, καὶ σκόπα τοῦ Κρανωνίου, καὶ Εὐρυλόχου τοῦ Λαρισσαίου, μή τε χρήματα προσέμενος αὐτῶν, μήτε παρ' αὐτοὺς ἀπελθών. Et Libanio in Apologia Socratis, licèt locus mutilus ſit, Τοῦτον γὰρ πολλοὶ τῶν τυράννων ἐπεθύμησαν ἰδεῖν. πολλῶν παρ' αὐτοῖς ἐκπεπληγμένων τὴν ἀρετὴν Σωκράτους, νομίζοντες πρέπειν ταῖς ἐξουσίαις αὐτῶν καὶ ταύτην τὴν θέαν. καὶ διὰ τοῦτο ἐκάλει μὲν ὁ Εὐρύλοχος ὁ Χαρίσιος, ἐκάλει δὲ Σκόπας ὁ Καρώνιος, οὐχ ἥκιστα δὲ ὁ Μακεδόνων ἄρχων Ἀρχέλαος, δεόμενοι, πέμποντες τοὺς ἄξοντας, ἐπιστέλλοντες, ὑπισχνούμενοι. πῶς οὖν

ὁ τοὺς νέους ἐθίζων ὑπερορᾶν τῶν νόμων * * * * αὐτῶν δὲ ἐδεόμην τῶν ἐπιστολῶν. ἐν ἐκείναις τὸν ἄνθρωπον κάλλιστα ἂν ἴδετε. μάλιστα γὰρ τί δεῖ γραμμάτων τοῦ πράγματος βοῶντος; τριῶν γὰρ ὦ ἄνδρες κατεγέλασε τυράννων, καὶ δώρων τῶν παρ' ἐκείνοις, καὶ τρυφῆς, καὶ ποικίλων ἡδονῶν, αἰσχυνόμενος τοὔδαφος τῶν Ἀθηναίων, καὶ τοὺς νόμους, καθ' οὓς αὐτός τε ἐγένετο τῷ πατρὶ, καὶ παῖδας ἐποιήσατο. νομίζων οὐκ εἶναι τῆς αὐτοῦ φύσεως, οὔτε θεραπεύειν τύραννον, οὔτε εὖ πάσχειν ὑπὸ τυράννου. οὐ τοίνυν ὡς καλοῦντες διήμαρτον, ἀφίσταντο τῆς πείρας, ἀλλ' ἀκούοντες ἀνάλωτον εἶναι χρήμασιν, οἴκοι καθημένῳ περιέτεινον. ὁ δὲ οὐ μετριώτερον ἡγούμενος τοῦ βαδίζειν ἐκεῖσε, ἐκεῖθεν ὃ κερδαίνειν διεσώσατο. καὶ δυνάμενος εὐπορεῖν τούτων μᾶλλον, οἷς ἀπὸ τοῦ συκοφαντεῖν ἡ πρόσοδος, ἔμεινεν ἐπὶ τῆς πενίας ἡδέως, οὐδὲ ἂν θετταλίδην ὅλην, εἴ τις ἐδίδου, λαβών. Hæc ideò libentiùs apposui, quia ex hac eadem Epistola, quam tunc præ manibus habuisse Libanium, cùm Apologiam scriberet, nullus dubitat, concinnata esse videntur. Ego tamen putarim ad Archelaum Regni Macedonici inuasorem missam fuisse, cui βασιλείας nomen, cuius in Epistola meminit, magis quàm aliis conuenit. Nec aliò respexit Dio Chrysostomus Orat. 13. ἐν Ἀθήναις περὶ φυγῆς, dum illa scriberet de Socrate. ὃν οἵ τε Ἕλληνες ἐθαύμασαν ἅπαντες ἐπὶ σοφίᾳ. καὶ δὴ καὶ ὁ Ἀπόλλων σοφὸν αὐτὸν ἡγήσατο, καὶ Ἀρχέλαος Μακεδόνων βασιλεὺς πολλὰ εἰδὼς, καὶ πολλοῖς συγγεγονὼς τῶν σοφῶν ἐκάλει αὐτὸν ἐπὶ δωρεαῖς καὶ μισθοῖς, ὅπως ἀκούῃ αὐτοῦ διαλεγομένου τοὺς λόγους τούτους. Meminit & alter Chrysostomus, multò Dione diuinior Oratione ad Patrem infidelem. Verba habes infrà Epistolâ 6. Archelaus porrò per cædes & scelera regnum occupauerat. Nam

que cùm eſſet ſeruus Alcetæ natus ex ſerua Alcet. F. Perdiccæ Regis, Dominum, & Patruum ſuum ad ſe accerſitum, tamquam regnum, quod ei Perdiccas abſtulerat, reſtituturus, in hoſpitio inter epulas, vino ebrium cum Alexandro patruele, æqualique ſuo noctu iugulatum de medio ſuſtulit. Et paulò pòſt Perdiccæ filium ſeptennem in puteum coniectum ſuffocauit. Luit tandem & ipſe flagitiorum ac cædium pœnas ab amaſio trucidatus cupiditate imperij potiundi, quod per quatriduum ad ſummum obtinuit, ab aliis & ipſe interfectus. Vide quæ de eo tamquam probè cognita narrantur in Platonis Gorgia, & Alcibiade ſecundo. Diodorus lib. 14. narrat eum à Cratero, dum venationi indulget, imprudenter confoſſum, anno eodem, quo etiam Socrates hauſtu cicutæ periit: κατὰ δὲ τὴν Μακεδονίαν Ἀρχέλαος ὁ βασιλεὺς ἔν τινι κυνηγίῳ πληγεὶς ἀκουσίως ὑπὸ Κρατεροῦ τοῦ ἐρωμένου τὸν βίον μετήλλαξεν βασιλεύσας ἔτη ἑπτά.

δοκεῖ μοι τὴν ἐμήν.] Alij habent, οὔ μοι δοκεῖς καλῶς τὴν ἐμὴν συνιέναι, eodem ſenſu.

τὸ δεύτερον.] Alij legunt, πολλάκις μοι, æquè benè.

ἀλλ' ὥσπερ τοὺς σοφιστάς.] Auaritiam Sophiſtarum in docendo variis in locis Plato, aliíque exagitarunt, licèt eam rem minimè reprehendendam fateatur Philoſtratus. De Socrate, quidquid calumniator Ariſtophanes oppoſuit,

οὗτοι διδάσκουσ' ἀργύριον ἤν τις διδῷ,

falſum eſt. Nam Dio Chryſoſtomus Orat. 54. contendit Socratem nihil accepiſſe; eundémque refert

Ariſti-

Aristides ἄμισθον ἀρετὴν adolescentibus tradidisse, quod Plato antè memorauerat, & Xenophon ἀπομνημ. α΄. οὐ μὴν οὐδὲ ἐρασιχρηματίους γε τοὺς συνόντας ἐποίει. τῶν μὲν γὰρ ἄλλων ἐπιθυμιῶν ἔπαυε, τοὺς δὲ ἑαυτοῦ ἐπιθυμοῦντας οὐκ ἐπράττετο χρήματα. τούτου δὲ ἀπεχόμενος ἐνόμιζεν ἐλευθερίας ἐπιμελεῖσθαι. τοὺς δὲ λαμβάνοντας τῆς ὁμιλίας μισθὸν ἀνδραποδιστὰς ἑαυτῶν ἀπεκάλει, διὰ τὸ ἀναγκαῖον αὐτοῖς εἶναι διαλέγεσθαι παρ᾽ ὧν ἂν λάβοιεν τὸν μισθόν. Plura de Sophistarum ἐρασιχρηματία Ludouicus Cressolius in Theatro Rhetorum lib. 5. cap. 3. 4. 5. & 6. Socrates in hoc etiam, sicut & in multis aliis imitatus videtur Pythagoram, qui nullo sui lucro, aut mercedis spe discipulos informabat, si vera sunt, quæ narrat Lysis epist. ad Hipparchum. οὐ γὰρ κιβδήλοις ἐνεπορεύετο λόγοις, οὐδὲ πάγαις, αἷς πολλοὶ τῶν σοφιστῶν τὼς νέως ἐμπλέκοντι, ποτ᾽ οὐδὲν χρήγυον σχολάζοντες. Primus verò inter Socraticos Aristippus mercede philosophatus est, & quæstus partem Socrati missam, & à Socrate renunciatam recepit, vt ex Phania Eresio tradit Laërtius. οὗτος σοφιστεύσας, ὥς φησι Φανίας ὁ Περιπατητικὸς ὁ Ἐρέσιος, πρῶτος τῶν Σωκρατικῶν μισθοὺς εἰσεπράξατο, καὶ ἀπέστελλε χρήματα τῷ διδασκάλῳ. καί ποτε πέμψας αὐτῷ μνᾶς εἴκοσι παλινδρόμους ἔλαβεν, εἰπόντος Σωκράτους τὸ δαιμόνιον αὐτῷ μὴ ἐπιτρέπειν. ἐδυσχέραινε γὰρ ἐπὶ τούτῳ. Non ita tamen à donariis Socrates abhorrebat, vt pauca sibi, remissis aliis, non reseruaret, quod illi ab eodem Aristippo fuit obiectum, idem Auctor. πρὸς τὸν αἰτιώμενον, ὅτι Σωκράτους μαθητὴς ἀργύριον λαμβάνει, καὶ μάλα, εἶπεν· καὶ γὰρ Σωκράτη, πεμπόντων αὐτῷ τινων καὶ σῖτον, καὶ οἶνον, ὀλίγα λαμβάνοντα τὰ λοιπὰ ἀποπέμπειν. εἶχε γὰρ ταμίας τοὺς πρώτους

Ἀθηναίων. &, ἐξ ὁμιλίας αὐτῷ χρηματισαμένῳ φησὶ Σωκράτης, πόθεν σοι τοσαῦτα; καὶ ὅς, ὅθεν σοι τὰ ὀλίγα.

τὸν οὐθ' ὅλως καλῶς νομίζοντα.] Alij τὸν οὐθ' ὅλως καλὸν ἐπὶ. mendosè. Plures alios ab exteris facultates sibi oblatas, si ad vocantem perrexissent, contempsisse conspeximus, dum illius æui monumenta percurrimus. Nos ne tædio simus Lectori, silentio inuoluimus. Minùs itaque mirum erit in Socratis animo tam altè patriæ amorem insedisse, vt præ illa sola, & regia munera, & regni partem neglexerit. Simile fuit & in Procopio Gazæo Sophista ingenium, quod adamussim posteris delineauit illius ætatis non inelegans Scriptor & ipse Sophista Choricius, ex quo paucula, quia inedita sunt, veluti in gustum decerpam. ταῦτα δικαίως ἂν εἴποι ῥητορικὴ τοσούτου χηρεύουσα παιδευτοῦ, κέντρον ἐμβαλόντος ἐρωτικὸν ταῖς μεγίσταις τῶν πόλεων, καὶ λόγων ὀρεγομέναις. ἐπόθησε τοῦτον ἡ περὶ τὸν Ὀρόντην κειμένη πόλις ἡ Λιβανίου μήτηρ. ὅμοια πέπονθεν ἡ Φοινίκων μητρόπολις. περιῆλθεν ἑκατέρας τὸ φίλτρον ἡ Καισαρέως, τὰ μὲν βιαζομένη, τὰ δὲ κολακεύουσα, τὰ δὲ πειρωμένη χρυσίῳ πολλῷ δελεάζειν. οἵαις ἀεὶ μηχαναῖς ἐραστὴς πρὸς ἄγραν κέχρηται παιδικῶν. ἕως ὀψὲ μὲν εἷλε τὸ θήραμα. ἑλοῦσα δὲ φυλάττειν οὐκ εἶχεν ἰσχυροτέροις ἀγομένων λίνοις πόθῳ τῆς ἐνεγκούσης. καὶ τὰ τροφεῖα καλῶς ἀπέδωκε τῇ πατρίδι τοσαύτας ὁμοῦ καὶ τοιαύτας ἐν δευτέρῳ θέμενος πόλεις, καίτοι χωρὶς ἀξιωμάτων λαμπρῶν, καὶ μεγέθους κατασκευῆς, οἷς αἱ πόλεις ἐκεῖναι σεμνύνονται, ἴδιον ἑκάστη πλεονέκτημα κέκτηται πρὸς ἔρωτα δεινὸν ἐρεθίσαι. ἡ μὲν Ἀντιόχου τὸ ὁμώνυμον χωρίον τῆς Ἀπόλλωνος ἐρωμένης, ὅπου χαρίεντα, καὶ διαφανῆ, καὶ πότιμα νάματα, πλάτανός τε πολλὴ, καὶ κυπάριττοι πλείους ἀμφιλαφεῖς τε, καὶ ὑψηλαὶ, καὶ ὀρνίθων

ᾠδαί, καὶ αὖραι τὰ σώματα διαψύχουσαι. ἡ μὲν οὖν Ἀντιόχου δέλεαρ ἔχει τὸ ἄλσος. ἡ δὲ Τυρίων τὰς χάριτας. οὕτω γὰρ ἄξιον προσειπεῖν τὰς πηγάς. ἡ Καίσαρος δὲ λουτρῷ καλλωπίζεται, ὅπερ ἡδὺ μὲν ὁρῶντί σοι δόξει, τερπνότερον δὲ λελουμένῳ. ὑπὸ τοιούτων σειρήνων ἑλκόμενος εἴχετο τῆς θρεψαμένης, δεινὸν εἰκότως ὑπολαβὼν τὸν ῥήτορα μὲν τὴν Ἀχαιῶν Ἰθάκης ἐρᾶν κραναῆς περ ἐούσης, αὐτὸν δὲ τοιαύτης ὑπερφρονῆσαι πατρίδος, τά τε ἄλλα καλῆς, καὶ νικώσης ἀρεταῖς οἰκητόρων, ὅτῳ μάλιστα τρόπῳ πόλις κοσμεῖται.

ἐπίσης ὁμοίως ἀκούειν παρ' ἀεί.] Alij, ἀκούειν τε ἀεὶ αὖτί τε, καὶ μή. Vtrumque malè. Corrigerem, ἐπίσης ἀκούειν τε ὁμοίως, καὶ λέγειν ἀεὶ ἕτοιμος ὤν. vel quid ſimile. Hanc eamdem ſententiam ſic expreſſit Plato in Apologia. Εἰ δέ τις ἐμοῦ λέγοντος, καὶ τὰ ἐμαυτοῦ πράττοντος ἐπιθυμεῖ ἀκούειν, εἴ τε νεώτερος, εἴ τε πρεσβύτερος, οὐδενὶ πώποτε ἐφθόνησα. οὐδὲ χρήματα μὲν λαμβάνων διαλέγομαι, μὴ λαμβάνων δ' οὔ. ἀλλ' ὁμοίως καὶ πλουσίῳ, καὶ πένητι παρέχω ἐμαυτὸν ἐρωτᾶν· καὶ ἐάν τις βούληται ἀποκρινόμενος ἀκούειν ὧν ἂν λέγω. καὶ τούτων ἐγὼ εἴ τέ τις χρηστὸς γίγνεται, εἴ τε μή, οὐκ ἂν δικαίως τὴν αἰτίαν ὑπέχοιμι, ὧν μήτε ὑπεσχόμην μηδενὶ μηδὲν πώποτε μάθημα, μήτε ἐδίδαξα. Εἰ δέ τις φησι παρ' ἐμοῦ πώποτε, ἢ μαθεῖν, ἢ ἀκοῦσαι ἰδίᾳ ὅτι μὴ καὶ οἱ ἄλλοι πάντες, εὖ ἴστε ὅτι οὐκ ἀληθῆ λέγει. Xenophon ἀπομνημον. α'. ἀλλὰ μὴν ἐκεῖνός γε ἀεὶ μὲν ἦν ἐν τῷ φανερῷ. πρῴ τε γὰρ εἰς τοὺς περιπάτους, καὶ τὰ γυμνάσια ᾔει, καὶ πληθούσης ἀγορᾶς ἐκεῖ φανερὸς ἦν, καὶ τὸ λοιπὸν ἀεὶ τῆς ἡμέρας ἦν ὅπου πλείστοις μέλλοι συνέσεσθαι. καὶ ἔλεγε μὲν ὡς τὸ πολύ, τοῖς δὲ βουλομένοις ἐξῆν ἀκούειν. Pluribus id etiam proſequitur Libanius in Apologia.

καθάπερ Πυθαγόρας ἱστορεῖται.] Pythagoras etiam ami-

cis diſcipulis per ſcirpos, & ſymbola Philoſophiæ arcana tradebat, reliquos neque colloquio dignabatur. Exiſtimo verò Socratem de Antro extra vrbem Samum ab eodem Pythagora extructo, in quo obſeratis diſcipulis, clauſus & ipſe præcepta, inſtitutáque Philoſophica tradebat, eáque tantùm in eorum, quos ipſe vellet, aures infundebat, doctrinæ ſuæ nimis auarus. De Antro Iamblichus de Vita Pythagoræ lib. 1. cap. 5. & Porphyrius, ἐπανελθόντα δὲ εἰς τὴν Ἰωνίαν, κατασκευάσαι ἐν τῇ πατρίδι διδασκαλεῖον, ὃ Πυθαγόρου καλούμενον ἔτι καὶ νῦν ἡμικύκλιον, ἐν ᾧ Σάμιοι περὶ τῶν κοινῶν συνιόντες βουλεύονται. ἔξω δὲ τῆς πόλεως ἄντρον οἰκεῖον τῆς ἑαυτοῦ φιλοσοφίας ποιησάμενον, ἐν τούτῳ τὰ πολλὰ τῆς ἡμέρας, καὶ τῆς νυκτὸς διατρίβειν συνόντα λόγοις τῶν ἑταίρων. Vel illud innuit diſcipulos ante perfectam probationem nunquam in Pythagoræ conſpectum, ſed tantùm ad vocis ſtrepitum admiſſos. cùm verò vidiſſent, tamquam ſucceſſu fortunatiores amicis atque parentibus nunciabant; Laërtius in eius Vita. καὶ αὐτοῦ οἱ μαθηταὶ πενταετίαν ἡσύχαζον μόνον τῶν λόγων κατακούοντες, καὶ οὐδέπω Πυθαγόραν ὁρῶντες, εἰς ὃ δοκιμασθεῖεν. τουντεῦθεν δὲ ἐγίνοντο τῆς οἰκίας αὐτοῦ, καὶ τῆς ὄψεως μετεῖχον. &, τῶν τε ἑξακοσίων οὐκ ἐλάττους ἐπὶ τὴν νυκτερινὴν ἀκρόασιν ἀπήντων αὐτοῦ, καὶ εἴ τινες ἀξιωθεῖεν αὐτὸν θεάσασθαι, ἔγραφον πρὸς τοὺς οἰκείους ὡς μεγάλου τινὸς τετυχηκότες.

προσφέρτον μὲν οἷς.] Nec aliò reſpexiſſe Xenophon ἀπομνημ. α'. videtur, cùm de eo ſcriberet. ἐθαύμαζε δ' εἴ τις ἀρετὴν ἐπαγγελλόμενος ἀργύριον πράττοιτο, καὶ μὴ νομίζοι τὸ μέγιστον κέρδος ἕξειν, φίλον ἀγαθὸν κτησάμενος, ἀλλὰ φοβοῖτο μὴ ὁ γενόμενος καλὸς κἀγαθὸς, τῷ τὰ μέγιστα εὐεργετή-

σαυτῇ, μὴ τὴν μεγίστην χάριν ἔχῃ. Σωκράτης δ' ἐπηγγείλατο μὲν οὐδενὶ πώποτε τοιοῦτον οὐδέν. ἐπίστευε δὲ τῶν ξυνόντων αὐτῷ τοὺς ἀποδεξαμένους ἅπερ αὐτὸς ἐδοκίμαζεν εἰς τὸν πάντα βίον ἑαυτῷ τε καὶ ἄλλοις φίλους ἀγαθοὺς ἔσεσθαι.

οὐδένα γὰρ τῶν δωσόντων.] Lego, τῶν δωσόντων μοι ἡγοῦμαι πιστότερον.

παρακαταθέμενος.] Alii, παρακατατιθέμεθα, malè.

ὡς ἡμῖν.] Lego, ὡς ἡμᾶς. ὡς pro πρὸς, exempla passim occurrunt.

παρασκευάζεσθαι.] Alij, παρασκευάζονται.

καὶ μεταπεσούσης τῆς τύχης.] Ouidius 2. de Ponto.

Diligitur nemo, nisi cui Fortuna secunda est:
Quæ simul insonuit, proxima quæque fugat.

Boëtius de Consolatione lib. 3. *Quem felicitas amicum fecit, infortunium faciet inimicum.* Et ante omnes Pindarus, οἴχεται τιμὰ φίλων τατωμένῳ φωτὶ, παῦροι δ' ἐν πόνῳ πιστοὶ βροτῶν καμάτου μεταλαμβάνειν. Hinc Gregis histrici non inelegans, aptissimáque in hanc sententiam similitudo, qua Vertumnorum istorum, amicitias vtilitate probantium, ingenium ponderatur. Petronius in Satyrico,

Nomen amicitiæ, si quatenus expedit, hæret,
Calculus in tabula mobile ducit opus.
Cùm Fortuna manet, vultum seruatis amici,
Cùm cedit, turpi vertitis ora fuga.
Grex agit in scena mimum, Pater ille vocatur,
Filius hic, nomen Diuitis ille tenet:
Mox vbi ridendas inclusit pagina partes,
Vera redit facies, dissimulata perit.

& ex Petronio Ioannes Saresberiensis.

ὁ μηδὲ.] Alius legit, ὁ μὴ καὶ πρᾶγμα.

αἱ τῆς πατρίδος χρεῖαι.] Alius, ἡ τῆς πατρίδος χρεία. non malè.

ὃ δὲ μείζονα, ἢ ἐλάττω.] Locus eſt obſcurus, atque perplexus. Eum ſic accommodauerim, ὃ δὲ μείζονα, ἢ ἐλάττω πράττειν οὐκ ἐπ' αὐτῷ ἐστιν, ἀλλὰ τῶν μὲν ἑτέρους ἔχειν τὴν αἰτίαν, τῶν δὲ καθάπαξ αὐτόν. Alij legebant, τῶν μὲν ἑτέρων. omninò malè. Res enim vel ſunt in noſtra poteſtate, vel non; eæque vel infra, vel ſupra vires. ſi ea operamur, quæ in noſtra ſunt facultate, nos eorum cauſa ſumus, cùm non ab alio fonte, quàm à nobis naſcantur. Aliorum, quæ ſupra vires, vel infra ſunt, cauſæ aliunde, non à nobis petendæ ſunt. cùm alij eorum operum ſint effectores. Hinc concludit, non eſſe mirum, ſi ſemet dicat, licèt neque concionibus habendis, neque ducendis exercitibus, vel militiæ incumbat, in vſus, atque Patriæ neceſſitates exerceri. Illis enim operam dat, quorum ipſe auctor eſſe poteſt, at quorum effectus ab aliena manu pendent, ipſe neutiquam animum aduertit. ἐκτελεῖ igitur χρείας τῇ πατρίδι οὐ πάσας, ἀλλά τινας.

ἔπειτα οὐ τὴν τοσαύτην.] Ad benè conſtitutam Rempublicam varia munera variis ciuibus, nec omnia vni, neque vnum omnibus præſcribi, fruſtrà hîc manifeſtiſſima probare conarer. Secundò verò reſpondet Socrates ſuam operam non eſſe inutilem Reipublicæ, qui magnitudine rerum obtorpeſcentes, vel deſidia inter ipſa negotia ciues obdormiſcentes excitaret, exſtimularétque ad opus inter-

missum eleganti illa μύωπος similitudine. ὑπὸ μεγέθους τῷ. Alij habent, ὑπ'. mendosè. ἀποκοιμίζεσθαι, nonnulli addunt, οἷον ἀποκοιμ. nec displicet. Eo namque, quod in metaphora asperum, ac durum videri poterat, emollitur. Eandem sententiam non aliis, quàm iisdem verbis, & similitudine expressit Plato in Apologia. ἐὰν γάρ με ἀποκτείνητε, οὐ ῥᾳδίως ἄλλον τοιοῦτον εὑρήσετε ἀτεχνῶς, εἰ καὶ γελοιότερον εἰπεῖν, προσκείμενον τῇ πόλει ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ὥσπερ ἵππῳ μεγάλῳ μὲν καὶ γενναίῳ, ὑπὸ μεγέθους δὲ νωθεστέρῳ καὶ δεομένῳ ἐγείρεσθαι ὑπὸ μύωπός τινος. οἷον δή μοι δοκεῖ ὁ Θεὸς ἐμὲ τῇ πόλει προστεθηκέναι τοιοῦτόν τινα, ὃς ὑμᾶς ἐγείρων, καὶ πείθων, καὶ ὀνειδίζων ἕνα ἕκαστον οὐδὲν παύομαι τὴν ἡμέραν ὅλην πανταχοῦ προσκαθίζων. τοιοῦτος οὖν ἄλλος οὐ ῥᾳδίως ὑμῖν γενήσεται. &c. Annon ex his Epistolis ista & similia, aliáque quæ ex Xenophonte afferuntur, excerpta sunt, in plerisque nec verbis etiam immutatis?

προσέταξεν ὁ Θεός] De Dæmonio Socratis, ne nimius sim, plura videre poteris apud Maximum Tyrium dissert. 26. & 27. Apuleium libello de hac re edito, Platonem, Xenophontem, & alios. Tantùm ex Platone notabo, cùm actionum aliæ prohibeantur, ne fiant, aliæ suadeantur, vt fiant, Dæmonium hoc, siue vocem à re, quam erat facturus Socrates, semper reuocasse, ad rem verò suscipiendam nunquam impulisse, in Apologia. τούτου δὲ αἴτιόν ἐστιν, ὃ ὑμεῖς ἐμοῦ πολλάκις ἀκηκόατε πολλαχοῦ λέγοντος, ὅτι μοι θεῖόν τι, καὶ δαιμόνιον γίγνεται φωνή. ὃ δὴ καὶ ἐν τῇ γραφῇ ἐπικωμῳδῶν Μέλιτος ἐγράψατο. ἐμοὶ δὲ τοῦτό ἐστιν ἐκ παιδὸς ἀρξάμενον, φωνή τις γιγνομένη, ἣ ὅταν γένηται ἀεὶ ἀπο-

τρέπει με τούτου ὃ ἂν μέλλω πράττειν, προτρέπει δ' οὔποτε. τοῦτό ἐστιν, ὅ μοι ἐναντιοῦται τὰ πολιτικὰ πράττειν, καὶ παγκάλως δέ μοι δοκεῖ ἐναντιοῦσθαι. Nec ſiluit Cicero de Diuinat. lib. I. *Hoc nimirùm eſt illud, quod de Socrate accepimus, quódque ab ipſo in libris Socraticorum ſæpè dicitur, eſſe diuinum quiddam, quod Dæmonium appellat, cui ſemper ipſe paruerit, nunquam impellenti, ſæpè reuocanti.*

Θεοῦ δ' δείξαντος ἀρχήν.] Diuina equidem eſt diuini Nazianzeni de hac re in Apologia ſententia. τάξις ἀρίστη παντὸς ἀρχομένῳ καὶ λόγου καὶ πράγματος ἐκ Θεοῦ τε ἄρχεσθαι, καὶ εἰς Θεὸν ἀναπαύεσθαι. Eam ſæpiùs repetiit Pindarus Pyth. od. 9. ὠκεῖα δ' ἐπειγομένων ἤδη Θεῶν πρᾶξις, ὁδοί τε βραχεῖαι. & 10. γλυκὺ δ' ἀνθρώπων τέλος, ἀρχά τε δαίμονος ὀρνύντος αὔξεται.

τὰ δ' παρὰ Θεὸν ἀλυσιτελῆ.] Alius habet, περὶ Θεόν. malè. Xenoph. περὶ πόρων ἢ περὶ προσόδων. σὺν γὰρ Θεῷ πραττομένων εἰκὸς καὶ τὰς πράξεις προϊέναι ἐπὶ τὸ λῷον καὶ ἄμεινον ἀεὶ τῇ πόλει.

ἐν τῇ ἐπὶ Δηλίῳ.] Alius habet, Δεκελαίᾳ. malè. Delium enim oppidulum eſt in Tanagræorum finibus ad mare. Epitomator Stephani. Δήλιον πολίχνιον Βοιωτίας ἐν Τανάγρᾳ. Pauſanias in Bœoticis. ἔστι δὲ τῆς Ταναγραίας ἐπὶ θαλάσσῃ καλούμενον Δήλιον. ἐν δ' αὐτῷ καὶ Ἀρτέμιδος καὶ Λητοῦς ἐστιν ἀγάλματα. nobile Athenienſium clade, idem, ὕστερον μέν τοι καὶ Θηβαίοις νίκη κατ' Ἀθηναίων ἐπὶ Δηλίῳ τῷ Ταναγραίων ἐγένετο. Clades illa ἐπὶ Δηλίῳ μάχη dicta eſt. Harpocratio. ἐπὶ Δηλίῳ μάχη. Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Λυσικλέους. Δήλιον χωρίον ἐστὶ τῆς Βοιωτίας. ἐνταῦθα Ἀθηναῖοι μαχόμενοι ἐνικήθησαν ὑπὸ Βοιωτῶν καθά

φησι

φησι Θουκυδίδης ἐν πρώτῃ. In his leuiſſimus error irrepſit non animaduerſus ab aliis. Rem enim totam Delij ab Athenienſibus muniti, à Bœotis oppugnati acriter, ac expugnati tandem, fusè Thucydides proſequitur libro quarto, non primo. Quare reſtituendum in Harpocratione ἐν τετάρτῃ. Ælianus lib. 3. cap. 17. de eodem. ἐστρατεύσατο οὖν ἐπὶ Δῆλον, lego Δήλιον, καὶ εἰς Ἀμφίπολιν, καὶ εἰς Ποτίδαιαν. In eo prælio lapſum ex equo Xenophontem ſeruaſſe narrat Laërtius. καὶ Ξενοφῶντα ἀφ' ἵππου πεσόντα ἐν τῇ κατὰ Δήλιον μάχῃ διέσωσεν ὑπολαβών. ὅτε καὶ πάντων φευγόντων Ἀθηναίων, ἠρέμα ἀνεχώρει παρεπιστρεφόμενος ἡσυχῇ, καὶ τηρῶν ἀμύνασθαι, εἴ τις οἱ ἐπέλθοι. Plato item in Lachete fugæ illius adeò Athenienſibus noxiæ meminit, non ſine laude à fide digno, & oculato teſte narratæ. ὡς ἐγὼ, καὶ ἄλλοθί γε αὐτὸν ἐθεασάμην, οὐ μόνον τὸν πατέρα, ἀλλὰ καὶ τὴν πατρίδα ὀρθοῦντα. ἐν γὰρ τῇ ἀπὸ Δηλίου φυγῇ μετ' ἐμοῦ συνανεχώρει. κἀγώ σοι λέγω, ὅτι εἰ ἄλλοι ἤθελον τοιοῦτοι εἶναι, ὀρθὴ ἂν ἡμῶν ἡ πόλις ἦν, καὶ οὐκ ἂν ἔπεσε τότε τοιοῦτον πτῶμα. Et in Apologia non Delienſis tantùm, ſed & aliarum etiam expeditionum, in quibus Socrates non ſine vitæ diſcrimine militauit, mentionem facit. ἐγὼ οὖν δεινὰ ἂν εἴην εἰργασμένος, εἰ ὅτε μὲν με οἱ ἄρχοντες ἔταττον, οὓς ὑμεῖς εἵλεσθε ἄρχειν μου, καὶ ἐν Ποτιδαίᾳ, καὶ ἐν Ἀμφιπόλει, καὶ ἐπὶ Δηλίῳ. τότε μὲν οὗ ἐκεῖνοι ἔταττον, ἔμενον ὥσπερ καὶ ἄλλος τις, καὶ ἐκινδύνευον ἀποθανεῖν. Cicero Socratis ſimilia verba Latinè expreſſiſſe viſus eſt lib. 1. de Diuinat. *Idem etiam Socrates, cùm apud Delium malè pugnatum eſſet, Lachete Prætore, fugerétque cum ipſo Lachete: vt ventum eſt in triuium eadem, qua cæteri, fugere noluit, qui-*

bus quærentibus, cur non eadem via pergeret, deterreri ſe à Deo dixit. tum quidem ij, qui alia via fugerent, in hoſtium equitatum inciderunt. Grauiſſimorum Auctorum teſtimonio, ipſiuſmet Socratis confeſſio accedens, res haſce non aliter accidiſſe conuincit; nec aliud eſſe ea quoquo modo in dubium vertere, quàm ſub meridiano ſole nugaciter tenebras omnia occupaſſe velle affirmare. Non credam ſimilia à probatiſſimis viris, & illius æui Scriptoribus, cùm illis veritas exprobrari potuiſſet, conficta fuiſſe. Et tamen ea omnia in gratiam Socratis conficta fuiſſe à Platone, & cæteris, etſi nulla probabili ratione, ille apud Athenæum lib. 5. contendit. Et ſanè argumentum, quod illi pro Achille eſt, ſilentium ſcilicet Thucydidis, ſi probè examinetur, in hiſtoria leuiſſimum eſt. Non enim quæ omittimus, vel ſilentio inuoluimus hac vel ſola ratione, ideò falſa ſunt. cùm ex pluribus, non ex vno hiſtoriæ ac rerum ſeries continuetur, & quod in vno abfuerit, ab alio reparatum in corpus narrationis inducimus. Militiam etiam hanc Socratis Oratione 2. Platonica exagitat Ariſtides, probátque Socratem non eam laudem, quam illi tribuit Plato, mereri.

καὶ περικαταλήπτους.] Alij legunt, περικαλύπτους. malè.

ἐγὼ δὲ μεμαθηκέναι.] Optimè itaque apud Xenophontem ἀπομνημον. 2. dicebat. πάντες δὲ ἃ ἐπίστανται, ῥᾷστά τε, καὶ τάχιστα, καὶ κάλλιστα, καὶ ἥδιστα ἐργάζονται. μὴ εἰδώς τε, Alij habent, μὴ εἰδὼς δέ. ἢ κυβεύειν, Alij, ἢ κυβερνᾷν.

οὐκ ἂν δεξαίμην.] Prudens Socratis Axioma. Quæ nescias agere, ne agito. quod cùm in reliquis omnibus obseruetur, & vnusquisque Artium peritiam sibi deneget, nec huiuscemodi imperitiam sibi vitio vertat, artem tamen regnandi, gubernandi, exercitúsque ducendi, ac scientiam, etsi illam non habeat, sibi arrogat. Id Socrates irridere solitus erat, cuius exemplo Persius Satyr. 4. Neronem sub persona Alcibiadis, qui rudis admodum harum rerum, Imperium Romanum optimè se gubernare arbitrabatur. Et priùs Plato sub persona Socratis Alcibiadem in Alcibiade primo, & Iouem Rhapsodum in Ione reprehenderat, qui cùm neque in re Nautica, neque in Boaria, neque in Medicina, neque in Lanificio, neque in Nauibus compingendis, neque in aliis rebus meliùs quippiam eorum artificibus se scire faterentur, in ducendis tamen exercitibus, & populis gubernandis summoperè se excellere, neque in illis optimè moderandis peritia se destitui gloriabantur. In hæc eadem animum habuisse Æneam Syluium Historiæ Bohemicæ cap. 6. non dubium est, cùm de Puimilao tertio Bohemorum Duce scriberet, *Agrum colere, gregem pascere, nauim regere, texere, suere, ædificare, multi se ignorare fatentur. Magistratum in Vrbibus agere, regem tegere, gentibus ac nationibus imperare, quod est difficillimum, nemo sibi à natura negatum dicit, etsi plerique siue laboris odio, siue otij amore oblatis regnis abstinuêre.*

νῦν δὲ ἡ τῶν.] Alij habent, ὡς τῶν ἐπιστήμων. ineptè. &, οἷς μὴ ἴσασι. Alij, οἷς μὴ ἴσασι, sine vllo sensu.

ὅθεν καὶ τὴν τύχην.] In eamdem rem Ioannes Lydus tract. de Mensibus Verba, quia adhuc inedita, libentiùs exscribuntur. οἱ Ῥωμαῖοι μηδὲν ἕτερον παρὰ τὸ ἐν ἀνθρώποις εὐδαιμονίαν εἶναι νομίζοντες, αὐτὴν δὲ μόνην τὴν πάντων ἡγεῖσθαι νενομίκασι, Φορτοῦναν αὐτὴν ἀπὸ τῆς φορᾶς ἐμφερῶς ὀνομάσαντες. οἱ μὲν οὖν πρὸς ἀρετὴν ἔχοντες, καὶ Θεοῦ μεμνημένοι, καὶ κρείττονας ἐπὶ τῶν ἄλλων, καὶ μακαρίων πραγμάτων ἐλπίδας θάλποντες, καταφρονοῦσι τῶν τῇδε καλῶν. Εἰ μὲν γὰρ τύχη οὐδὲν δεῖ Θεοῦ. εἰ δὲ Θεὸς σθένει οὐδὲν ἡ τύχη. εἰκαῖον γάρ τι, καὶ ἀνούσιον τὸ τῆς τύχης ὄνομα. τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα κλίμακι πέφυκεν ἐξομοιοῦσθαι διὰ τὴν ἀνώμαλον αὐτῶν φοράν. ἐν μιᾷ γὰρ ὡς ἔφη τις ἡμέρᾳ, τὸν μὲν καθεῖλεν ὑψόθεν, τὸν δ' ἦρ' ἄνω, μηδενὸς ἐν ὁμοίῳ πεφυκότος μένειν τῶν παρ' ἡμῖν, ἀλλὰ παντοίαις μεταβαλλόντος τροπαῖς. ἢ οὐκ ἄρχοντες μὲν ἐξ ἰδιωτῶν, ἰδιῶται δὲ ἐξ ἀρχόντων, πένητες δὲ ἐκ πλουσίων, καὶ ἐκ πενήτων πολυχρήματοι, καὶ ἔνδοξοι μὲν ἐξ ἠμελημένων, ἐπιφανέστατοι δὲ ἐξ ἀδόξων γίνονται. Quemadmodum enim vbi prudenria regnat, omnes Dij fauisse dicuntur. Horatius,

Ad summum sapiens vno minor est Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

& Sallustius, *Non votis, neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum comparantur. Vigilando, agendo, benè consulendo prosperè omnia cedunt. Vbi socordiæ, atque ignauiæ te tradideris, nequidquam Deos implores; irati, infestique sunt.* Ita, vbi consilium defuerit, Fortunæ nomen nobis fingimus, & causam miseræ, beatæque vitæ, cuius ipsi nobis causa sumus, in eam reiicimus. Iuuenalis Satyra 10.

Nullum numen abest, si sit prudentia; sed te

Nos facimus, Fortuna, Deam, cœlóque locamus.

Et Plinius lib. 2. cap. 7. *Toto quippe mundo, omnibúsque in locis, & horis, omnium vocibus Fortuna inuocatur, & vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conuitiis colitur, volubilisque à plerisque etiam cæca existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorúmque fautrix. Huic omnia expensa, omnia referuntur accepta, in tota ratione mortalium sola vtramque paginam facit. Adeóque obnoxij sumus sorti, vt sors ipsa pro Deo sit, qua Deus probatur incertus.*

μᾶλλον εἰκὸς ἰδιώτου.] Hinc Agesilaus apud Xenophontem, τὰς μὲν τῶν ἰδιωτῶν ἁμαρτίας πρᾴως ἔφερε, τὰς δὲ τῶν ἀρχόντων μεγάλας ἦγε, κρίνων τοὺς μὲν ὀλίγα, τοὺς δὲ πολλὰ κακῶς διατιθέναι. Nec in aliam sententiam Auctor ille, quisquis sit, Orationis inter Isocraticas *Nicocles* inscriptæ: ἔπειτα καὶ προσήκειν ἡγησάμην τοσούτῳ τοὺς βασιλέας βελτίους εἶναι τῶν ἰδιωτῶν, ὅσῳ περ καὶ τὰς τιμὰς μείζους αὐτῶν ἔχουσι. Nam vt aiebat Iuuenalis Sat. 8.

Omne animi vitium tantò conspectius in se
Esse solet, quantò maior, qui peccat, habetur.

Vide Ioannis Catacuzeni Histor. lib. 1. cap. 6. qui etiam lib. 4. cap. 48. ad Matthæum filium dicebat, *Non enim quemadmodum aliis, si vitam solutè transegerint, sic etiam Imperatoribus vsuuenit, vt damnum ad ipsos modò pertineat: sed & bona, & mala ipsorum subditis communia sunt: & Imperatoris animam omnis virtutis speculum, atque archetypum esse oportet: alioquin non solùm suæ; sed & aliorum segnitiei pœnas persoluet.*

ἐοίκασι δὲ καὶ.] Digna ingenio Socratico Allegoria,

vt inflatos animos, elatásque superborum cogitationes obtunderet, eorúmque vanitatem in terram, quò sua studia conuertere debent, deiiceret. In eumdem significatum Lucianus in Astrologia fabellam explicauit. ἐγὼ δὲ καὶ περὶ Βελλεροφόντεω τοιάδε φρονέω. πτηνὸν μὲν οἱ γενέσθαι ἵππον οὐ μάλα πείθομαι. δοκέω δέ νιν ταύτην τὴν σοφίην μετέποντα, ὑψηλά τε φρονέοντα, καὶ ἄστρασιν ὁμιλέοντα εἰς οὐρανὸν οὐχὶ τῷ ἵππῳ ἀναβῶναι, ἀλλὰ τῇ διανοίῃ.

ἀλλὰ τὴν παῤῥησίαν.] Alij legunt, παρουσίαν. malè.

τῶν ἐκεῖ τἀνθάδε.] Alij habent, ἀμείνω δοκῶ, οὐδὲ τῷ Θεῷ. Ex vtrisque locum sic corrigerem, τἀνθάδε, ἅ μοι ἀμείνω δοκεῖ, ἀλλ' οὐδὲ τῷ Θεῷ. Oblatis enim sibi res patrias potiores existimabat. Accedebat Numinis sui beneplacitum, quod illi similia suaderet, vt à tali itinere abstineret.

EPISTOLA II.

Chærephon, quem Xenophonti commendat Socrates, fortè ille idem est amicus Socratis, & familiaris, & qui sub tali Magistro fructus protulit Philosophiæ vberrimos, ante Socratis interitum vita functus. Plato in Apologia. Χαιρεφῶντα γὰρ ἴστε δήπου. οὗτος ἐμός ἑταῖρος ἦν ἐκ νέου, καὶ ὑμῶν τῷ πλήθει ἑταῖρος, καὶ ξυνέφυγε τὴν φυγὴν ταύτην. καὶ μεθ' ὑμῶν κατῆλθεν, &c. καὶ τούτων πέρι ὁ ἀδελφὸς ὑμῖν αὐτοῦ μαρτυρήσει, ἐπεὶ ἐκεῖνος τετελεύτηκεν. Adeò in iram propensus, vt inimicitias, eásque non leues cum fratre exercuerit. Quid pro eo fratri reconciliando Socrates adduxerit, narrauit Xenophon, & ex Xenophonte Sui-

das. Ob coloris ſquallorem irridetur ab Ariſtophane in Nebulis. Cum eo, & Chærecrate illius fratre ἀπομνημονευμ. 2. de amore fraterno diſputat Socrates apud Xenophontem.

Epistola III.

τούτῳ συλλαβόμενος.] Alij legunt, συλλαμβανόμενος· ποιήσεις ἂν, Alij, ποιήσεις ἄν. malè.

τὴν μὲν τῶν Αμφιπολιτῶν.] Inſignem hominis præſagitionem! Si quis enim Potidæatarum res cum Amphipoliticis comparet, næ ille aquam aquæ ſimillimam deprehendet. In vtriſque enim Athenienſium clades, ciuium exitium, Vrbium ipſarum perniciem, ac deſtructionem intuebitur. In illis enarrandis Thucydides operam collocauit. Ex eo, & ex Diodoro ad præſentem hiſtoriam illa conferimus. Athenienſes in Thracia ad Strymonem fluuium ante bellum Peloponeſiacum poſt Thaſios deuictos, qui à Thracibus apud Drabeſcum cæſi ſunt, oppidum ἐννέα ὁδοὺς, hoc eſt, *Nouem-vias* appellatum, in poteſtatem reducere conati ſunt, ſed fruſtrà. Iidem anno vndetrigeſimo reuerſi, expulſis Hedonis, qui locum occupauerant, oppidum, Agnone Niciæ filio Coloniæ ductore, condiderunt, & Αμφίπολιν, ὅτι ἐπ' ἀμφότερα περιῤῥέοντος τοῦ Στρύμονος διὰ τὸ περιέχειν αὐτὴν τείχει μακρῷ ἀπολαβὼν ἐκ ποταμοῦ εἰς ποταμὸν, περιφανῆ ἐς θάλασσάν τε καὶ τὴν ἤπειρον ᾤκισεν. Hæc ergo ciuitas iiſdem, cùm hæc ſcriberentur, temporibus, ab Athenienſibus ad Braſidam, quidquid in cauſa fuerit, defecit. Hac defectione Athenien-

ſes πράγματα εἶχον, vt præuiderat Socrates. Nam ex Thucydide lib. 4. ἐχομένης τῆς Ἀμφιπόλεως οἱ Ἀθηναῖοι ἐς μέγα δέος κατέστησαν. Damna inde illata Athenienſibus Iſocrates Orat. ad Philippum expreſſit. ἀλλὰ τὴν ἀλήθειαν τῶν πραγμάτων θαυμάζειν, καὶ νομίζειν οὐδαμῶς ἂν ἄλλως παύσασθαι τῆς φιλονεικίας ὑμᾶς ταύτης, πλὴν εἰ σὺ μὲν πεισθείης πλείονος ἀξίαν ἔσεσθαί σοι τὴν τῆς πόλεως φιλίαν, ἢ τὰς προσόδους τὰς ἐξ Ἀμφιπόλεως γιγνομένας. ἡ δὲ πόλις δυνηθείη καταμαθεῖν ὡς χρὴ τὰς μὲν τοιαύτας φεύγειν ἀποικίας, αἵτινες τετράκις, ἢ πεντάκις ἀπολωλέκασι τοὺς ἐμπολιτευθέντας· ζητεῖν δὲ ἐκείνους τοὺς τόπους τοὺς πόῤῥω μὲν κειμένους τῶν ἄρχειν δυναμένων, ἐγγὺς δὲ τῶν δουλεύειν εἰθισμένων. Braſidæ in Amphipolitanos expeditionem ex Thucydide, ni fallor, recenſet Diodorus lib. 12. licèt pro Agnone, Apione apud eum legatur. Amphipolim, ſi vllam aliam, multinominem apud Auctores inuenio. Harpocratio. Ἀμφίπολις Ἀντιφῶν περὶ τοῦ Λινδαίων φόρου, πόλις αὕτη τῆς Θρᾴκης. πρότερον δὲ ἐννέα ὁδοὶ ἐκαλεῖτο, ὡς Ἀνδροτίων ἐν δωδεκάτῃ Ἀτθίδος. Μαρσύας δὲ ἐν Μακεδονικοῖς διὰ τὸ περιοικεῖσθαι τὸν τόπον Ἀμφίπολιν ὠνομάσθαι, πρότερον Ἄκρα καλουμένην. οἱ δὲ Ἄρεος πόλις. Et Stephani Epitomator. Ἀμφίπολις πόλις Μακεδονίας κατὰ Θρᾴκην, ἣ τις ἐννέα ὁδοὶ ἐκαλεῖτο. κεκλῆσθαι δὲ μυρίκην, καὶ ἠϊόνα. Ἀμφίπολιν δὲ διὰ τὴν περίῤῥοιαν τοῦ Στρύμονος, ὡς Θουκυδίδης τετάρτῃ. ἐκαλεῖτο δὲ κράδεμνα, καὶ ἀνάδραιμος.

καὶ περὶ ἐκείνης.] Alij habent, περὶ ἐκείνην. νῦν καί. Alii, νῦν γε. δέομεν. Alij, δεομένη ἤ, nullo ſenſu.

περὶ Ποτιδαίας.] De hac Potidæatarum ab Athenienſibus defectione, eorundémque per Athenienſes oppugnatione fusè Thucydides lib. 1. & 4. & bre-

breuiſſimè Pauſanias in Eliacis. Ποτιδεάταις δὲ, οἷς μὲν ἐπέλαβεν ἀναστάτοις ἐκ τῆς σφετέρας ὑπὸ Φιλίππου τε γενέσθαι τοῦ Ἀμύντου, καὶ πρότερον ἔτι ὑπὸ Ἀθηναίων. χρόνῳ δὲ ὕστερον Κάσανδρος κατήγαγε μὲν Ποτιδεάτας ἐπὶ τὰ οἰκεῖα, ὄνομα δὲ οὐ τὸ ἀρχαῖον τῇ πόλει, Κασανδρεία δὲ ἐγένετο ἀπὸ τοῦ οἰκιστοῦ.

EPISTOLA IV.

Κριτοβούλῳ ἐντυχών.] Critobulus hic Critonis filius fuit, cum quo apud Xenophontem Socrates, ἀπομνημον. α'. de vi oſculorum diſſerit. & in Oeconomico de adminiſtratione rei familiaris. Æſchines Socraticus in Telauge, vt refert Athenæus, eum tamquam indoctum, ſordidéque viuentem perſtringit. Εἴ γε καὶ Αἰσχίνης ὁ Σωκρατικὸς ἐν μὲν τῷ Τηλαύγει Κριτόβουλον τὸν Κρίτωνος ἐπ' ἀμαθίᾳ, καὶ ῥυπαρότητι βίου κωμῳδεῖ.

πρὸς φιλοσοφίαν αὐτὴν.] Alij habent, αὐτόν. ὡρμῆσθαι. Alij, ἐξωρμῆσθαι. æquè benè.

καὶ τὸν ὑφηγησόμενον.] Eadem ſententia apud Platonem in Lachete. ἐγὼ γὰρ φημι χρῆναι κοινῇ πάντας ἡμᾶς ζητεῖν, μάλιστα μὲν ἡμῖν αὐτοῖς διδάσκαλον ὡς ἄριστον.

σχεδὸν δὲ νέῳ.] Athenas enim tamquam in Muſarum, ac ſapientiæ arcem præſtantiſſimi quique ad oſtentanda ingenia vndique concurrebant, ſatis ſibi eſſe rati, ſi in Vrbe totius Græciæ, & literis, & armis celeberrima ſpecimen ſui edidiſſent. Appoſitè itaque Iſocrates apud Ælianum var. Hiſtor. lib. 12. cap. 52. Athenienſium ciuitatem ſcorto ſimillimam dixit : illius enim venuſtate, ac pulchritudine

pellecti, illius etiam consuetudinem auidè exposcebant. Hinc peregrinorum, & doctissimorum hominum frequentia cuique obuia erat. Poterat ergo Critobulus in tanta Præceptorum abundantia, vnum sibi deligere, qui esset ad instruendum aptissimus, optimúsque.

EPISTOLA V.

Πρόξενον δὲ καταλαβεῖν.] Proxeni ex Thebis Bœotij Ducis cum Cyro contra Artaxerxem expeditionem, cædem, mores, & studia adamussim expressit Xenophon, De expeditione Cyri lib. 2. Quæ verò antè expeditionem gesta sunt, ita Laërtius in Xenophonte. *ἦν αὐτῷ συνήθης Πρόξενος ὄνομα, γένος Βοιώτιος, μαθητὴς μὲν Γοργίου τοῦ Λεοντίνου, φίλος δὲ Κύρῳ. οὗτος ἐν Σάρδεσι διατρίβων παρὰ τῷ Κύρῳ ἔπεμψεν εἰς Ἀθήνας ἐπιστολὴν Ξενοφῶντι καλῶν αὐτὸν ἵνα γένηται Κύρῳ φίλος. ὁ δὲ τὴν ἐπιστολὴν δείκνυσι Σωκράτει, καὶ σύμβουλον ἤρετο. καὶ ὃς ἀπέστειλεν αὐτὸν εἰς Δελφοὺς χρησόμενον τῷ Θεῷ. πείθεται Ξενοφῶν, ἥκει παρὰ τὸν Θεόν. πυνθάνεται οὐχὶ εἰ χρὴ ἀπιέναι πρὸς Κῦρον, ἀλλ' ὅπως. ἐφ' ᾧ καὶ Σωκράτης αὐτὸν ᾐτιᾶτο μὲν, συνεβούλευσε δὲ ἐξελθεῖν. καὶ ὃς γίνεται παρὰ Κύρῳ. καὶ τοῦ Προξένου φίλος οὐχ ἧττον ἦν αὐτῷ.* Reliquam huius rei historiam habes apud Xenophontem de expedit. Cyri libro tertio.

Θεὸς οἶδεν.] Socrates in rebus dubiis, & obscuris ad Deorum consilia, homines hortabatur, vt confugerent, perfectas illinc rerum suarum cognitiones habituri. Cicero de Diuinat. in hanc rem. *Et Socrates quidem, quo quem auctorem meliorem quæri-*

mus? Xenophonti consulenti, sequereturne Cyrum, postea quàm exposuit, quæ sibi videbantur, & nostrum quidem, inquit, humanum est consilium: sed de rebus & obscuris & incertis ad Apollinem censeo referendum, ad quem etiam Athenienses publicè de maioribus rebus retulerunt. & Laërtius dicto loco.

οὐ γὰρ ἄξιον φανῆναι.] De Cyri auxiliis, Lysandro, ac Lacedæmoniis suppeditatis, ad Athenas opprimendas, vide Diodorum Siculum lib. 13.

μεταπεσούσης.] Alii legunt, καταπεσούσης.

ἀλλ' ὅσῳ λαμπρότερον.] Xenophon de Cyri institutione lib. 7. ὅταν πλεῖστά τις ἔχῃ, τότε πλεῖστοι καὶ φθονοῦσι, καὶ ἐπιβουλεύουσι, καὶ πολέμιοι γίνονται. Thucydides lib. 6. οἶδα δὲ τοὺς τοιούτους, καὶ ὅσοι ἔν τινος λαμπρότητι προέσχον, ἐν μὲν τῷ κατ' αὐτοὺς βίῳ λυπηροὺς ὄντας, τοῖς ὁμοίοις μὲν μάλιστα, ἔπειτα δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις ξυνόντας. & lib. 2. καί τοι ταῦτα ὁ μὲν ἀπράγμων μέμψαιτ' ἂν, ὁ δὲ δρᾶν τι βουλόμενος, καὶ αὐτὸς ζηλώσει. εἰ δέ τις μὴ κέκτηται, φθονήσει. τὸ δὲ μισεῖσθαι, καὶ λυπηροὺς εἶναι ἐν τῷ παρόντι, πᾶσι μὲν ὑπῆρξε δὴ ὅσοι ἕτεροι ἑτέρων ἠξίωσαν ἄρχειν. ὅστις δ' ἐπὶ μεγίστοις τὸ ἐπίφθονον λαμβάνει ὀρθῶς βουλεύεται. μῖσος μὲν γὰρ οὐκ ἐπὶ πολὺ ἀντέχει. ἡ δὲ παραυτίκα τε λαμπρότης, καὶ ἐς τὸ ἔπειτα δόξα ἀείμνηστος καταλείπεται. Otiosi enim, ac desides, & laborum expertes, laboriosos, industrios, bonis & ingenio præstantes improbant, ac vituperant. Hoc in tenella adhuc ætate spectatum, cognitúmque fuit Themistocli, qui, quòd nullus illi inuideret, nullum se splendidum aggressum opus argumentabatur. φθονοῦσι δὲ μᾶλλον τοῖς μᾶλλον ἐπ' ἀρετῇ προϊέναι δοκοῦσι. διὸ καὶ Θεμιστοκλῆς ἔτι μειράκιον ὢν, οὐδὲν ἔφη πράττειν

λαμπρόν· οὔπω γὰρ φθονεῖσθαι· καθάπερ γὰρ αἱ Κανθαρίδες ἐμφύονται μάλιστα τῷ ἀκμάζοντι σίτῳ, καὶ τοῖς εὐθαλέσι ῥόδοις· οὕτως ὁ φθόνος ἅπτεται μάλιστα τῶν χρηστῶν, καὶ αὐξομένων πρὸς ἀρετὴν, καὶ δόξαν ἠθῶν, καὶ προσώπων. Plutarchus de inuidia & odio.

ἃ περὶ ἀρετῆς εἰώθημεν.] Plura de Virtute apud Xenophontem, atque Platonem contra ignauiam Socrates diſputauit.

καὶ τὸ μηδὲ γένος πατέρων.] Carmen eſt Homericum ex Iliados ζ'. vbi Glaucus Hippolochi Patris monita recenſens ait,

καί μοι μάλα πόλλ' ἐπέτελλεν,
Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων,
Μηδὲ γένος πατέρων αἰσχυνέμεν. οἳ μέγ' ἄριστοι
Ἐντ' ἐφύρῃ ἐγένοντο, καὶ ἐν Λυκίῃ εὐρείῃ.

Maiorum res præclarè geſtæ alacri animo, ac currenti ad virtutis ſtudium non leuia ſunt incitamenta.

ἐλθόντες.] Alij legunt, ἐλθόντας. malè.

δυοῖ τούτοιν.] Duo hæc etiam Onoſander in Imperatore ſuo deſiderauit, & ex Onoſandro Leo Imperator; vt ſcilicet eſſet φιλόπονος, non laborioſus ſolùm, ſed in ipſis etiam laboribus perſiſtens, neque demittens animum. idque fuerit, ſi primus militiæ labores excipiat, poſtremus omnium illos deponat. φιλόπονον δὲ, ἵνα μὴ πρῶτον τῶν στρατευομένων, ἀλλ' ὕστερον κάμνῃ. Leo. ἵνα μὴ πρῶτος τῶν στρατευομένων ἀναπαύσεως ἐπιζητῇ, ἀλλὰ γίνηται αὖθις μᾶλλον εἰκὼν πρὸς τὸ γενναίως ὑποφέρειν τοὺς πόνους. Primus laborem ſuſcipiat, vltimus vacet, ac ferietur. Sit etiam ἀφιλάργυρος. τοῦ γὰρ

ἀδωροδοκήτως, καὶ μεγαλοφρόνως προΐστασθαι τῶν πραγμάτων ἡ ἀφιλαργυρία, vt idem Onoſander, στρατηγία. πολλοὶ γὰρ κἂν διὰ τὴν ἀνδρείαν ἀσπίσι πολλαῖς, καὶ δόρασιν ἀντιβλέψωσιν, περὶ τὸν χρυσὸν ἀμαυροῦνται. δεινὸν γὰρ πολεμίοις ὅπλον τοῦτο, καὶ δραστήριον εἰς τὸ νικᾶν. Quam ἀφιλαργυρίαν, ἀφιλοχρηματίαν vocauit Socrates. Hæc verò ad ſubiectorum amorem conciliandum maximè conducunt. Xenophon de Inſtitutione Cyri lib. 1. καὶ ἐπὶ τῶν πράξεων δὲ, εἰ μὲν ἐν θέρει ὦσι, τὸν ἄρχοντα δεῖ τοῦ ἡλίου πλεονεκτοῦντα φανερὸν εἶναι. εἰ δὲ ἐν χειμῶνι τοῦ ψύχους· ἢν δὲ δέῃ μοχθεῖν τῶν πόνων. πάντα γὰρ ταῦτα εἰς τὸ φιλεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀρχομένων συλλαμβάνει. Quod Socrates, δι' ἐκείνην μὲν γὰρ τοῖς οἰκείοις φίλοι.

οἰκεῖα ἔχεις.] Exempla quippe maiorum ad gloriam, réſque præclarè gerendas exſtimulant. Andromache apud Maronem 3. Æneidos,

Ecquid in antiquam virtutem, animóſque viriles,
Et pater Æneas, & auunculus excitat Hector?

Vnuſquiſque enim progenitoribus ſuis par ſumma ſtudet eſſe contentione. Hinc Iſocrates poſt Herculis exemplum familiare expoſitum, ſubdit Oratione ad Philippum. τούτου δ' ἕνεκά σοι περὶ τούτων διῆλθον, ἵνα γνῷς ὅτι σε τυγχάνω τῷ λόγῳ παρακαλῶν ἐπὶ τοιαύτας πράξεις, ἃς ἐπὶ τῶν ἔργων οἱ πρόγονοί σου φαίνονται κάλλιστα προκρίναντες. ἅπαντας μὲν οὖν χρὴ τοὺς νοῦν ἔχοντας τὸν κράτιστον ὑποστησαμένους πειρᾶσθαι γίγνεσθαι τοιούτους, μάλιστα δέ σοι προσήκει. τῷ γὰρ μηδὲν ἀλλοτρίοις χρῆσθαι παραδείγμασιν, ἀλλ' οἰκεῖον ὑπάρχειν, πῶς οὐκ εἰκὸς ὑπὸ αὐτοῦ σε παροξύνεσθαι, καὶ φιλονεικεῖν, ὅπως τῷ προγόνῳ σαυτὸν ὅμοιον παρασκευάσεις. Et in Euagora. τοὺς μὲν γὰρ ἄλλους

προτρέπομεν ἐπὶ τὴν φιλοσοφίαν ἑτέρους ἐπαινοῦντες, ἵνα ζηλοῦντες ἐκ τούτων τοὺς εὐλογουμένους τῶν αὐτῶν ἐκείνοις ἐπιτηδευμάτων ἐπιθυμῶσιν. ἐγὼ δέ σε καὶ τοῖς σοῖς οὐκ ἀλλοτρίοις παραδείγμασι χρώμενος, ἀλλ' οἰκείοις παρακαλῶ καὶ συμβουλεύω προσέχειν τῷ νοῷ. ὅπως καὶ λέγειν, καὶ πράττειν μηδενὸς ἧττον δυνήσῃ τῶν Ἑλλήνων.

Epistola VI.

ἐγὼ πένης.] βιοῦ, Alij legunt, βίον. non ſatis aptè. Paupertatem ita coluit Socrates, vt per contumeliam vulgò πένης nominaretur, vt tradit Xenophon in Oeconomico. adeò vt facultates ipſe ſuas omnes minis quinque æſtimauerit. Nec alio, quàm paupertate ipſa, efficaciori argumento, doctrinam ſuam aliis non propoſuiſſe vænalem probauit in Apologia apud Platonem. Demetrius tamen Phalereus Socratem à paupertate conatus eſt vindicare, vt tradit Plutarchus in vita Ariſtidis. Quippe non modò domum ei fuiſſe ſcripſit, ſed & minas inſuper ſeptuaginta apud Critonem fœnori datas. ἀλλὰ γὰρ ὁ Δημήτριος οὐ μόνον Ἀριστείδην, ἀλλὰ καὶ Σωκράτη δῆλός ἐστι τῆς πενίας ἐξελέσθαι φιλοτιμούμενος, ὡς μεγάλου κακοῦ. καὶ γὰρ ἐκείνῳ φησὶν οὐ μόνον τὴν οἰκίαν ὑπάρχειν, ἀλλὰ καὶ μνᾶς ἑβδομήκοντα τοκιζομένας ὑπὸ Κρίτωνος.

ἔπειτα ἐξόν μοι παρὰ πολλῶν.] Exemplum de hoc ſatis amplum ſint contempta, quidquid in contrarium adduceret Xanthippe, Alcibiadis munera. Ælianus lib. 9. cap. 29. ideóque Alcibiades in Sympoſio apud Platonem, εὖ γὰρ ᾔδειν ὅτι χρήμασί γε πολὺ μᾶλλον ἄτρωτος ἦν πανταχῇ, ἢ σιδήρῳ ὁ Αἴας.

χρὴ δὲ μὴ τοῦτο μόνον.] Satis enim ſunt, ſatiſque diues dicitur, cui ex ſuis, licèt pauca ſint, neceſſaria ſuppeditant ad ſatietatem explendam, & deſideria. Pauper erit, licèt ditiſſimus ſit, ſi facultates illi ſitim non ſedant. *τὰ μὲν γὰρ ἐμὰ*, dicit Socrates apud Xenophontem, *ἱκανά ἐστιν ἐμοὶ παρέχειν τὰ ἐμοὶ ἀρκοῦντα. εἰ δὲ τὸ σὸν σχῆμα, ὃ σὺ περιβέβλησαι, καὶ τὴν σὴν δόξαν, οὐδ' εἰ πρὸς ὅσα νῦν κέκτησαι, προσγένοιτό σοι, οὐδ' ὣς ἂν ἱκανά μοι δοκεῖ εἶναί σοι.* Nec aliò reſpexiſſe videtur Apuleius in Apologia. *Neminem noſtrûm pauperem eſſe, qui ſuperuacanea nolit, poſcit neceſſaria, quæ natura oppidò pauca ſunt. Namque is plurimum habebit, qui minimum deſiderabit. Habebit enim quantum volet, qui volet minimum. Et idcircò diuitiæ non meliùs in fundis, & in fœnore, quàm in ipſo hominis æſtimantur animo. qui ſi eſt auaritia egenus, & ad omne lucrum inexplebilis, nec montibus auri ſatiabitur, ſed ſemper aliquid, ante parta vti augeat, mendicabit. Quæ quidem vera confeſſio eſt paupertatis. Omnis enim cupido adquirendi ex opinione inopiæ venit. Nec refert quàm magnum ſit, quod tibi minus eſt.* &, *Pauper enim ſis appetendi egeſtate, diues non egendi ſatietate.* Ego verò vel iuramento contenderem Socratem, dum hæc ſcriberet, Gorgiæ illa in Apologia Palamedis præ oculis habuiſſe. *ἀλλὰ χρήματα μὲν μέτρια κέκτημαι, πολλῶν δὲ οὐδὲν δέομαι· πολλῶν γὰρ δέονται χρημάτων, οἱ πολλὰ δαπανῶντες, οὐχ οἱ κρείττονες τῶν τῆς φύσεως ἡδονῶν, ἀλλ' οἱ δουλεύοντες ταῖς ἡδοναῖς, καὶ ζητοῦντες ἀπὸ πλούτου καὶ μεγαλοπρεπείας τὰς τιμὰς κτᾶσθαι. τούτων δ' ἐμοὶ πρόσεστιν οὐδέν.* Et hos *αἰσχροκερδεστάτους* vocauit Andocides Orat. contra Alcibiadem,

non autem auaros. καίτοι ὑμεῖς γε νομίζετε τοὺς φειδομένους, καὶ τοὺς ἀκριβῶς διαιτωμένους φιλοχρημάτους εἶναι, οὐκ ὀρθῶς γινώσκοντες· οἱ γὰρ μεγάλα δαπανώμενοι, πολλῶν δεόμενοι, αἰσχροκερδέστατοί εἰσιν.

καὶ εἰ.] Alij legunt, κἂν εἰ.

ἔφη τε χρῆσθαι.] Eadem ſcribit de Socrate Xenophon ἀπομνημον. α'. πρῶτον μὲν ἀφροδισίων, καὶ γαστρὸς πάντων ἀνθρώπων ἐγκρατέστατος ἦν. εἶτα πρὸς χειμῶνα, καὶ θέρος, καὶ πάντας πόνους καρτερικώτατος. ἔτι δὲ πρὸς τὸ μετρίων δεῖσθαι, πεπαιδευμένος οὕτως, ὥστε πάνυ μικρὰ κεκτημένος, πάνυ ῥᾳδίως ἔχειν ἀρκοῦντα. &c, διαίτῃ δὲ τήν τε ψυχὴν ἐπαίδευσε, καὶ τὸ σῶμα, ᾗ χρώμενος ἄν τις, εἰ μή τι δαιμόνιον εἴη, θαῤῥαλέως καὶ ἀσφαλῶς διάγοι, καὶ οὐκ ἂν ἀπορήσειε τοσαύτης δαπάνης. οὕτω γὰρ εὐτελὴς ἦν, ὥστ' οὐκ οἶδ' εἴ τις οὕτως ὀλίγα ἐργάζοιτο, ὥστε μὴ λαμβάνειν τὰ Σωκράτει ἀρκοῦντα. σίτῳ μὲν γὰρ τοσούτῳ ἐχρῆτο, ὅσον ἡδέως ἤσθιε. καὶ ἐπὶ τοῦτο οὕτως παρεσκευασμένος ᾔει, ὥστε τὴν ἐπιθυμίαν τοῦ σίτου ὄψον αὐτῷ εἶναι. ποτὸν δὲ πᾶν ἡδὺ ἦν αὐτῷ διὰ τὸ μὴ πίνειν, εἰ μὴ διψῴη, &c. Non ſunt ab his abſimilia, quæ narrat Plato. Dignum tamen admiratione eſt, quod in libro de Garrulitate de eodem refert Plutarchus, Socratem ſitientem nunquam antea bibiſſe, quàm vrnam primùm hauſta aqua plenam effudiſſet, ita enim ea conſuetudine ſitim reprimebat. καὶ γὰρ ὁ Σωκράτης οὕτως ἐκόλουε τὴν δίψαν, οὐκ ἐφιεὶς ἑαυτῷ πιεῖν μετὰ γυμνάσιον, εἰ μὴ τὸ πρῶτον ἐκχέας κάδδον ἀνιμήσας, ὅπως ἐθίζηται τὸ τοῦ λόγου καιρὸν ἀναμένειν τὸ ἄλογον. Socrates igitur, qui voluptatem nullo loco numerat apud Ciceronem de Finibus lib. 2. dicit, *Cibi condimentum eſſe famem, potionis ſitim.* Hinc cùm vſque ad veſperam,

ram, vt idemmet refert Tuſcul. Quæſt. lib. 5. contentiùs ambularet, quæſitúmque eſſet ex eo, quare id faceret, reſpondit, *Quò meliùs cœnaret, obſonare ambulando famem.* Opportunè etiam ad hunc locum Chryſoſtomus, Orat. ad Patrem infidelem. Τί δὲ ὁ τούτου διδάσκαλος Σωκράτης; πόσῳ Ἀρχελάου λαμπρότερος ἦν; καί τοι ὁ μὲν βασιλεὺς ἦν, καὶ ἐν πολλῷ πλούτῳ διῆγεν. ὁ δὲ ἐν λυκείῳ διετέλεσεν. καὶ ἑνὸς ἱματίου πλέον εἶχεν οὐδὲν, καὶ τοῦτο μόνον καὶ χειμῶνος καὶ θέρους, καὶ ἐν πάσαις ταῖς ὥραις τοῦ ἔτους περιβεβλημένος ἐφαίνετο, ἀνυπόδετός τε ἔζη διὰ παντὸς, καὶ ἄσιτος ἅπασαν διεκαρτέρει τὴν ἡμέραν, ἄρτον τε ἐσιτεῖτο μόνον, καὶ τοῦτ' ἦν αὐτῷ καὶ ὄψον, καὶ σιτίον, καὶ οὐδὲ ταύτην οἴκοθεν παρετίθετο τράπεζαν, ἀλλὰ παρ' ἑτέρων λαμβάνων, οὕτως ἐσχάτῃ συνέζη πενίᾳ, καὶ τοσοῦτον ἦν τοῦ βασιλέως λαμπρότερος, ὡς πολλάκις αὐτὸν καλοῦντος ἐκείνου παρ' ἑαυτὸν μὴ θελῆσαι τὸν λύκειον ἀφεῖναι, καὶ πρὸς τὴν ἐκείνου πενίαν ἐλθεῖν.

καὶ ἐσθῆτι θέρους τε.] Vt frigus, & rapidas temporis hyberni tempeſtates contempſerit, oculatus teſtis nobis eſſe voluit Alcibiades in Platonis Sympoſio. πρὸς δὲ τὰς τοῦ χειμῶνος καρτερήσεις· δεινοὶ γὰρ αὐτόθι χειμῶνες· θαυμάσια εἰργάζετο τά τε ἄλλα, καί ποτε ὄντος τοῦ πάγου οἵου δεινοτάτου, καὶ πάντων ἢ οὐκ ἐξιόντων ἔνδοθεν, ἢ εἴ τις ἐξίοι ἠμφιεσμένων τε θαυμαστὰ δὴ ὅσα, καὶ ὑποδεδεμένων, καὶ ἐνειλημένων τοὺς πόδας εἰς πίλους, καὶ ἀρνακίδας. οὗτος δ' ἐν τούτοις ἐξῄει ἔχων ἱμάτιον μὲν τοιοῦτον, οἷόν περ καὶ πρότερον εἰώθει φορεῖν, ἀνυπόδητος δὲ διὰ τοῦ κρυστάλλου ῥᾷον ἐπορεύετο, ἢ οἱ ἄλλοι ὑποδεδεμένοι. & Libanius in Apologia, καὶ τὸ μὴ δεῖσθαι τοσούτων ἐπαίδευσεν ἑαυτὸν, ἢ ὅθεν ἂν ἔχοι δαπανᾶν ἐσκέψατο, τρίβωνι μὲν ἑνὶ δι' ἔτους χρώμενος. ὕδωρ δὲ πίνων ἥδιον, ἢ θάσιον οἶνον ἕτεροι. τότε πεινῶν ἐσθίειν, ἀντὶ Περσικῆς τριου-

μένος τραπέζης. τῆς δὲ οὕτως ἐχούσης τροφῆς ἔμελλε δήπου τοῖς ἐπιτηδείοις Σωκράτους οὐδὲν ἐνοχλοῦντος.

ὑποδήμασι δὲ πάμπαν.] Plato in Phædro, εἰς καιρόν, ὡς ἔοικεν ἀνυπόδητος ὢν ἔτυχον. σὺ μὲν γὰρ ἀεί.

πλεῖον ὅσον ἐκ τοῦ σώφρων εἶναι.] In eandem rem Xenophon ἀπομνημ. 4. εἰπεῖν αὐτὸν ὅτι οὐδὲν ἄλλο ποιῶν διαγεγένηται, ἢ διασκοπῶν μὲν τά τε δίκαια, καὶ τὰ ἄδικα, πράττων δὲ τὰ δίκαια, καὶ τῶν ἀδίκων ἀπεχόμενος.

ὅσοι δὲ πολυτελείας.] Xenocrates item, cùm ei Alexander immenſam pecuniæ vim miſiſſet, tribus millibus Atticis acceptis, reliquam remiſit, pluribus illum dicens, qui plures aleret, indigere. Laërtius lib. 4. καὶ δὴ καὶ αὐταρκέστατος ἦν. Ἀλεξάνδρου γοῦν καὶ συχνὸν ἀργύριον ἀποστείλαντι αὐτῷ, τρισχιλίας Ἀττικὰς ἀφελών, τὸ λοιπὸν ἀπέπεμψεν, εἰπὼν ἐκείνῳ πλεῖον δεῖν πλείονας τρέφοντι.

κἀκείνην.] In alio deerat, τὴν δὲ ἀρετῆς. ſicut & infrà legebatur, καὶ τὴν ἐκ τῆς ἀρεσκείας. malè omninò.

πολλῶν αὐτοῖς δεῖσθαι.] Alij legunt, αὐτούς. non malè.

πολλάκις δὲ καὶ περὶ τοῦ Θεοῦ.] Vide acutiſſimam, item & abſolutiſſimam in Ethnico homine de Deo ipſo Theologiam. Primùm in omni genere perfectionis Deus eſt. nos in quocunque genere boni bonos fieri, perfectóſque, quatenus Deo ſimiles euadimus.

οὐ τὸ πολλῶν δεόμενον.] Hinc illius apud Laërtium apophthegma, καὶ ἐλαχίστων δεόμενος ἔγγιστα εἶναι Θεῷ. & Ciceronem lib. 5. Tuſcul. Quæſt. *Socrates in pompa, cùm magna vis auri, argentique ferretur, quàm multa non deſidero, inquit.*

καί τοι σοφώτερον.] Alij habent, καὶ τὸ σοφώτερον. non placet.

πλουτόν γ' αὖ ἐχθρῶν.] Alij, πλουτόν κ' αὖ ὄξεων.

τὸ ὂν ἀγαθόν.] In aliis deſideratur τὸ ὄν.

ἐπεὶ δὲ ἀρετὴ μόνη.] Solam virtutem hominem in cœlum dirigere, atque eam ſequenti beatitatem parare Philoſophi etiam veteres cognouerunt. Elegantiſſimus eſt de Virtute hymnus Ariſtotelis, dignus, qui in omnium animis inſculpatur.

πρὸς οἷς ἠτύχει.] Alij, πρὸς οἷς εὐτύχει.

οἷς τ' ἐστὶ τῷ τοιούτῳ.] Alij, τῶν τοιούτων. κατεχομένῳ, Alij, κατεχομένων.

καὶ οὐ λόγοις μόνον.] Alij, ἐὰν οὐ λόγοις. καὶ μὴ γινομένοις, Alij, καὶ μὴ δεομένοις. malè.

ἐκτίοντες.] Alij, ἐκτίνοντες, eodem ſenſu.

καί τοι γε ὁ νόμος.] Lege etiam filij tenebantur parentibus alimenta præſtare, quam explicat Iſæus Orat. περὶ τοῦ Κίρωνος κλήρου. Εἰ γὰρ ἔζη μὲν ὁ πάππος, ἐνδεὴς δ' ἦν τῶν ἐπιτηδείων, οὐκ ἂν ἐγὼ ὑπόδικος ἦν τῆς κακώσεως, ἀλλ' ἡμεῖς. κελεύει γὰρ τρέφειν τοὺς γονέας. γονεῖς δέ εἰσι μήτηρ, καὶ πατήρ, καὶ πάππος, καὶ τήθη, καὶ τούτων μήτηρ, καὶ πατὴρ ἐὰν ἔτι ζῶσιν. ἐκεῖνοι γὰρ ἀρχὴ τοῦ γένους εἰσί, καὶ τὰ ἐκείνων παραδίδοται τοῖς ἐγγόνοις. διόπερ ἀνάγκη τρέφειν αὐτούς ἐστι, κἂν μηδὲν καταλείπωσιν.

καὶ τεθνεῶτα.] Alij, τελευτῶντα.

χρήσασθαι τοῖς λόγοις.] Alij habent, πατρικῇ ἅμα πολιτικῇ παρρησίαν.

οὐκ ἀπολείψω.] Alij, καταλείψω.

τοῦ δὲ χρηστοῦ κτῆμα.] Lege fuſam, doctámque de amicis, illiſque comparandis diſputationem Socra-

tis apud Xenophontem, ex qua multa ad hunc locum deriuari pro dictorum Socratis expoſitione poterunt.

εἰ δέ τι τὰς ἐνίων.] Alij habent, ὀλίγων.

οὐ φορτικῶς ἡμῖν.] Alij, οὐ φορτικοῖς ἡμῖν.

ἀντάλλαγμα.] Alius legit, ἀντικατάλλαγμα.

καὶ ὁ γεννήσας αὐτὰ πατήρ.] In alio deeſt, πατήρ. elegantiſſima metaphora à corporis parturitione ad animum tranſlata. non alia enim ratione animus ex ſe ſua generat, & in lucem producit, quàm corpus priùs vi melioris agentis fœcundatum. Ea vſi ſunt plurimi. inter eos Syneſius epiſt. 1. παῖδας ἐγὼ λόγους ἐγεννησάμην, τοὺς μὲν ἀπὸ τῆς σεμνοτάτης φιλοσοφίας, καὶ τῆς συννάου ταύτης ποιητικῆς, τοὺς δὲ ἀπὸ τῆς πανδήμου ῥητορικῆς. ἀλλ' ἐπιγνοίη τις ἄν, ὅτι πατρὸς εἰσὶν ἑνὸς ἅπαντες. Athenæus, Ἀθήναιος μὲν ὁ τῆς βίβλου πατήρ. & Clemens Alexandrinus 1. Stromatum, καλὸν δὲ οἶμαι καὶ παῖδας ἀγαθοὺς τοῖς ἔπειτα καταλείπειν, οἱ μέν γε παῖδες σωμάτων, ψυχῆς δὲ ἔγγονοι οἱ λόγοι.

ἑτέρων συγγενείας.] Alius legit, εὐγενείας. non æquè benè. Cum amicis ſiquidem, dummodò illi amici ſint, affinitas, ſocietas, omnes denique neceſſitudines intercedunt. Ariſtides Orat. 2. Platonica confirmauit, ἀλλ' εἴ γέ τινας, ὥσπερ παῖδας, οὕτω καὶ ἑταίρους χρὴ λέγειν γνησίους.

ἐπιμελησομένους καταστησόμενος.] In alio deſideratur καταστησόμενος.

κατ' ὄψιν ἐντυχόντες.] Alius, ἐντυχόντι. mendosè.

EPISTOLA VII.

ἐῶ παρόντος οὐ.] Ἐῶ deſideratur in alio, quemadmodum & in *ἀπόντος οὐ.*

καί τις λόγος ἐν αὐτοῖς.] Alius habet, *ὡς αὐτούς*. Triginta Tyrannis Socratem in ſuſpicionem veniſſe, ideóque ab illis malè habitum, planum eſt. Laërtius, *ἐῶ δὲ καὶ ἰσχυρογνώμων, καὶ δημοκρατικὸς, ὡς δῆλον ἔκ τε τοῦ μὴ εἶξαι τοῖς περὶ Κριτίαν κελεύουσι Λέοντα τὸν Σαλαμίνιον πλούσιον ἄνδρα ἀγαγεῖν πρὸς αὐτοὺς, ὥστε ἀπολέσθαι. ἀλλὰ καὶ μόνος ἀποψηφίσασθαι τὴν δέκα στρατηγῶν.* Licèt enim iura patria violántes, ſontem, inſontémque trucidarent, multos timore ne ipſi ſimilia ſubirent, abigerent, expelleréntque neque inuitos, Socrates ſemper laboribus inconcuſſus, etiam illis ſuſpectus, nulla vi adduci potuit, vt ex Vrbe illa, vt ſibi conſuleret, pedem efferret; quod animaduertit Cicero ad Atticum lib. 8. epiſt. 2. *Poteriſne igitur videre Tyrannum? quaſi interſit, audiam, an videam; aut locupletior mihi ſit quærendus Auctor, quàm Socrates; qui cùm triginta Tyranni eſſent, pedem porta non extulit.*

εἰς τὴν θόλον ἦγον.] Tholus Athenis locus fuit, vbi Prytanes rem diuinam facere conſueuerant, Quingentorum Curiæ proximus. Pauſanias in Atticis, *τοῦ βουλευτηρίου τῶν πεντακοσίων πλησίον θόλος ἐστὶ καλουμένη, καὶ θύουσιν ἐνταῦθα οἱ Πρυτάνεις. καί τινα καὶ ἀργυρείου πεποιημένα ἐστὶν ἀγάλματα οὐ μεγάλα.* Huius meminit Plato, & alij.

καὶ Λέοντα συλλαμβάνειν.] Leonis Salaminij hiſtoriam, à triginta Tyrannis oppreſſi, & ſtrenuum

animum Socratis in contemnendis iniustis eorum imperiis, & Leone defendendo ita nobis idemmet Socrates apud Platonem in Apologia tradit. ἐπειδὴ δὲ ὀλιγαρχία ἐγένετο, οἱ τριάκοντα αὖ μεταπεμψάμενοί με πέμπτον αὐτὸν εἰς τὴν θόλον προσέταξαν ἀγαγεῖν ἐκ Σαλαμῖνος Λέοντα τὸν Σαλαμίνιον, ἵνα ἀποθάνοι. οἷα δὴ καὶ ἄλλοις ἐκεῖνοι πολλοῖς πολλὰ προσέταττον, βουλόμενοι ὡς πλείστους ἀναπληρῶσαι αἰτιῶν. τότε μέντοι ἐγὼ οὐ λόγῳ, ἀλλ' ἔργῳ αὖ ἐνεδειξάμην ὅτι ἐμοὶ μὲν θανάτου μέλει, εἰ μὴ ἀγροικότερον ἦν εἰπεῖν, οὐδ' ὁτιοῦν. τοῦ δὲ μηδὲν ἄδικον, μήδ' ἀνόσιον ἐργάζεσθαι, τούτου δὲ τὸ πᾶν μέλει. ἐμὲ γὰρ ἐκείνη ἡ ἀρχὴ οὐκ ἐξέπληξεν οὕτως ἰσχυρὰ οὖσα, ὥστε ἄδικόν τι ἐργάσασθαι. ἀλλ' ἐπειδὴ ἐκ τῆς θόλου ἐξήλθομεν, οἱ μὲν τέτταρες ᾤχοντο ἐς Σαλαμῖνα, καὶ ἤγαγον Λέοντα. ἐγὼ δὲ ᾠχόμην ἀπιὼν οἴκαδε. καὶ ἴσως ἂν διὰ ταῦτα ἀπέθανον, εἰ μὴ ἡ ἀρχὴ διὰ ταχέων κατελύθη. Eadem ſunt, quæ Plato etiam narrat epiſtola 7. & Theramenes vnus è triginta apud Xenophontem Rerum Græcarum lib. 2. ἐπειδὴ δὲ οὗτοι ἤρξαντο ἄνδρας καλούς τε, κἀγαθοὺς συλλαμβάνειν, ἐκ τούτου κἀγὼ ἠρξάμην τἀναντία τούτοις γινώσκειν. ἤδειν γὰρ ὅτι ἀποθνήσκοντος μὲν Λέοντος τοῦ Σαλαμινίου ἀνδρὸς καὶ ὄντος καὶ δοκοῦντος ἱκανοῦ εἶναι, ἀδικοῦντος δ' οὐδὲν, οἱ ὅμοιοι τούτῳ φοβηθήσοιντο, φοβούμενοι δὲ ἐναντίοι τῇ πολιτείᾳ ἔσοιντο. Dio Chryſoſtomus Orat. Polit. in Patriam. ἐπεὶ καὶ Σωκράτης ἐκεῖνος οὗ μέμνημαι πολλάκις ἐν μὲν τῇ τυραννίδι τῶν τριάκοντα ἔπραττε πάντα ὑπὲρ τοῦ δήμου, καὶ τῶν κακῶν οὐδενὸς ἐκοινώνησεν. ἀλλὰ καὶ πεμφθεὶς ὑπ' αὐτῶν ἐπὶ Λέοντα τὸν Σαλαμίνιον οὐχ ὑπήκουσεν. καὶ τοῖς τυράννοις ἄντικρυς ἐλοιδορεῖτο, λέγων ὁμοίους εἶναι τοῖς πονηροῖς βουκόλοις, οἳ παραλαβόντες ἰσχυρὰς τὰς βόας, καὶ πολλὰς, ὀλίγας καὶ ἀσθενεστέρας ποιοῦσιν. Meminit etiam Libanius in Apo-

logia Socratis. Illud porrò admiratione dignum est, nullam vnquam dignitatem, seu magistratum in Vrbe illa obtinuisse Socratem, præter quàm eo tempore, quo triginta Tyranni pernicie communi omnia perdiderunt. qui condemnatum Theramenem, inter lictores reluctantem, cùm nemo alius succurreret, tantum scelus ne fieret, eripere conatus fuerit, præpotentum factionem non veritus, Diodorus Siculus lib. 14.

παρὼν ὁ Χαρικλῆς.] Vnus è triginta, sicuti & Eratosthenes, & Theramenes, & Critias, & alij, quos nominat Lysias Oratione contra Eratosthenem. Omnium nomina satis diligenter exposita habes apud Xenophontem Rerum Græcarum lib. 2.

ἤδει κακόν.] mendosè. Alij legunt, ἡγῇ, optimè.

μυρία με οἴω ἠδία.] Alij, ἠδί, nullo sensu. Et fortè non malè corrigeretur, εἰ δεῖ, siquidem opus fuerit, sexcenta subibo mala, dummodò id vnum non peragam, vt iniustè agam. Illud vnum mihi tantùm periculum est, & acerbum, & formidolosum, si malus ex bono, & impius, & sceleratus fiam ex pio. Themistius Oratione 2. τούτων δὲ ἁπάντων παραδείγματα ἀπέφαινε Σωκράτην τὸν Ἀθηναῖον, ὃς οὔτε οἴκοι ὑπὸ Ξανθίππης λοιδορούμενος, οὔτε ὑπὸ Κριτίου, καὶ τῶν τριάκοντα τυράννων ἀπειλούντων, εἰ μὴ μεταβαλήσεται, καὶ θεραπεύσοι τὴν καθεστῶσαν πολιτείαν, ἀποκτενεῖν τε, καὶ ἐξελαύνειν, καὶ ἀνήκεστα ἐργάσασθαι, ὅμως οὐκ ἔδεισέ ποτε, οὐδὲ ἐξεπλάγη, οὐδὲ κίνδυνον ἄλλον ἐνόμισεν οὕτω δεινόν τε, καὶ φοβερὸν, ὡς τὸ κακὸν ἀντ' ἀγαθοῦ γενέσθαι, καὶ δυσεβῆ ἀντ' εὐσεβοῦς. ἀλλὰ τοῦτ' οὔτε Λέοντα ἤγαγε τὸν Σαλαμίνιον, οὔτ' ἐπιψηφίσαι

κατεβιάσθη κατὰ τῶν ἀμφὶ Περικλέα, καὶ Ἐρασινίδην, καὶ Διομέδοντα στρατηγῶν.

